ELIAS MAGNUS FRIES

Philos. et Medic. Doctor,
ad Universitatem Upsaliensem Botanices Professor emeritus,
Reg. Ord. Suec. de Stella Polari cum magna cruce Commendator,
Academiæ Suecanæ Octodecimvir,
permultarum Societatum Suecanarum et Externarum Membrum
etc. etc.
natus die 15 Aug. 1794
tranquillam mortem obiit Upsaliæ
die 8 Febr. 1878;
quod Vobis significatum voluit

nomine lugentium

lugens filius

Th. M. Fries.

This is the original edition.
The date of the volume of the Acta in the Library of the Museum at Paris is 1855 but the paper of Fries, pp. 17-136, is in Fasc. Prior of which the date is 1851.
There appears also to have been a separate author's edition with different paging but the date of the separate edition I am unable to find out. W. G. F.

[Preprint, 1851]

1855.

NOVAE SYMBOLAE MYCOLOGICAE,

IN PEREGRINIS TERRIS

A BOTANICIS DANICIS COLLECTAE.

RECENSUIT

ELIAS FRIES.

Per terras Extra-europaeas peregrinantes eximias fungorum collectiones reportarunt multi cell. Botanici Danorum. Ut taceam divi Koenigii collectionem, in Musaeo Britannico nunc servatam et a Rev. Berkeley descriptam, jam pridem in variis scriptis recensui Cell. Wormscholdii e Kamtschatka, Rabeni e Grönlandia, Lundii e Brasilia, Benzoni ex Antillis. Ultimis annis accesserunt novae et maxime spectabiles collectiones, Cell. Liebmanni e regno Mexicano, Oerstedii e Costa Rica et India occidentali, Didrichsenii et divi Kamphöveneri, sub expeditione speculatoria navis Galatheae in Nikobaricis variisque Oceaniae insulis conquisita. Hae tres eximiae collectiones, quae meae determinationi amice demandatae sunt, hujus commentarii praebuere materiem, quibus addidi paucas species nondum publicatas in eisdem terris ab aliis lectas. Aptius mihi visum est has symbolas conjunctas recensere, quam singulas, cum eaedem species saepe in pluribus adsint vel affines, se invicem illustrantes. Etiam hoc loco inserui descriptiones adhuc desideratas (diagnoses dedi in Synopsi Hymenomycetum) fungorum in Guinea a divo Afzelio collectorum, quorum icones aëri incidi jussit inventor, sed tam plurima harum exemplaria (vix ultra 3 supersunt), quam ipsae tabulae aëneae post obitum viri, nescio qua infelici negligentia, dissipatae sunt.

In collectionibus praesentibus Fungi Agaricini minorem, Polyporei vero pro more longe majorem numerum praebent. Illos, exceptis paucis Marasmiis et

Lentinis, solus collegit Cel. Oersted, ad viva specimina depinxit, simulque in spiritu vini servavit. Tam ob genera et subgenera perennatura, inter illos feliciter stabilita, quam characteres magis constantes Agaricinos rite determinare, praesentibus completis exemplaribus, facilius est, quam Polyporeos, longe magis mutabiles, quorum dispositio ad pileum centralem, lateralem, sessilem et resupinatum maxime fallax est. Eadem enim species v. c. *Polyporus versicolor* sub omnibus his formis occurrit. Cum plurimae definitiones ad specimina singularia Musaeorum propositae sint, facile intelligitur, quam parum ad specierum determinationem et specificam differentiam dijudicandam sufficiant sine amplissima experientia variationis legum inter indigenos. Ex his rationibus ex magna parte pendere fingimus immensum novarum specierum numerum ultimis lustris propositarum, quarum dimiduum saltim numerum vel synonyma vel jam descriptarum sistere lusus, sine temeritate enuntiare ausim, quamvis multae, quarum locus et affinitas in genere tam vasto haud indicata sunt, sine ectyporum comparatione numquam determinare liceat. Minus igitur studui novas proponere species (quisque alius ad specimina praesentia plures facile determinasset; at omnes minus claros tacite seponendos judico), quam affinitatem propositarum explorare, nam, bene observante jam Caesalpino, »ignoto loco proprio omnis descriptio, etiam accuratissima, fallit». Non satis est speciem ignotam sub nomine novo describere, sed hanc tamdiu in animo volutare, donec nexus cum omnibus jam rite cognitis plene elucet. Praecipuum laborem in stirpibus naturalibus figendis hinc deposui.

Gravissimas ad Polyporeorum gregem symbolas, ut fungorum in genere, ultimis lustris proposuit Rever. Berkeley, quare maximi momenti censui, ut hujus species cum meis componerentur. Hinc ab amicissimo Viro rogavi, ut integram suam novorum Polyporeorum collectionem mitteret, qui precibus rara liberalitate adnuit. Multiplicem inde hanc disciplinam hausisse fructum speramus; primo omnium ab utroque nostrum propositarum specierum differentia est comprobata in futurae generis expositionis fundamentum; porro viginti circiter species, quas pro indescriptis habui, in hac collectione cum voluptate recognovi una cum quibusdam priscarum synonymis; tandemque omnes ejus species in accuratius nunc limitatis stirpibus inserere licuit.

In geographicam fungorum distributionem hoc loco observationes quasdam praemittere liceat:

I. Vegetatio fungosa in diversis terris multo magis conformis videtur quam aliarum plantarum. Vastiora genera et multae species vere cosmopolitae sunt. Quo magis autem genus in aliis plantis parasitatur, eo magis species e diversa matre mutantur. Hinc terrestres Agarici et Boleti in diversis terris magis congruunt, quam epixyli Polypori et Lentini; hi magis quam e cortice erumpentes Pyrenomycetes. Maxime innati, Entophyti, quoad species aeque varii sunt, ac plantae, quibus innascuntur. Illorum natura igitur manifeste magis autonoma est; harum species secundariae.

II. Duae tamen sunt vegetationis fungosae regiones, quae plurimis rationibus oppositae ita differunt, ut hae saltim pro diversis censendae sint, nempe Zonae calidae et temperatae. Zona frigida ab hac non magnopere differt, vix ullos privos typos offert; multi vero regionum temperatarum typi ibidem deficiunt, v. c. brumales et subterranei Tuberacei, ob terram magna anni parte congelatam.

III. Haec vero differentia inter perfectiores et libere evolutos praecipue observatur, Gasteromycetes maxime, quorum plurima nobilissima genera in terris calidis gignuntur, et Hymenomycetes, cum Pyrenomycetes et omnes fungi elementares, licet hi e terris calidis parum cogniti sint, eosdem typos offerunt, quamvis specierum varietas major.

IV. Zona calida longe plures paradoxas et inter se discrepantes alit formas, quam regio temperata. Cum tropici fungi perfectiores facile et quasi sponte in multa genera solvuntur, regionum temperatarum ita conformes, ut genera vastissima indivisa servare cogamur. *Sparassis* nobilissimum sistit regionum temperatarum genus.

V. Utra harum regionum specierum numero ditior sit, in praesente enuntiare haud licet. Monet tamen Cel. Junghuhn in tropicis terris v. c. in Java fungos praecipue incolere regiones temperatas ab altitudine 3000 usque ad 5000 pedum; ultra hanc altitudinem iterum rarescunt. Eadem ratio in India orientali, in cujus planitiebus fungi admodum rarescunt, sed in altioribus regionibus, v. c. Sikkim Himalayae, 7—8000 ped. altid., ex Hookero filio, et specierum numero et individuorum copia maxime luxuriant. Ita quoque regio montium temperata in America centrali fungorum feracissima est.

VI. Quoad individuorum copia regio temperata excellit et nullibi in calida terram paene obtegunt, ut sub nostro autumno pluvioso. In terris calidis definito anni spatio non adscripti, sed per omnes anni partes aequaliter distributi, sparsim et solitarii obvii, nec catervati et raro caespitosi.

VII. In tropicis terris praepollent fungi lenti, lignosi et persistentes; in temperatis et adhuc magis in frigidis regnant carnosi, succosi, fugaces. In frigidis lenti, tarde increscentes ob aestatem brevem vulgo desunt; magis succosi et fugaces in alpes adscendunt, ut *Coprini, Boletus scaber.* Fungi perennes et lignosi, quorum tanta copia in calidis regionibus, arboribus, etiam iisdem regionibus praepollentibus, quoddammodo respondent. Genera Agaricorum lenta, Marasmii, Lentini, Xeroti, Lenzites e. s. p. maximum habent specierum numerum in regionibus calidioribus; paene deesse videntur *Cortinarii,* qui in silvis montanis septentrionalibus tres quartas partes individuorum autumno offerunt. (Unicam speciem e Ceylonia attulit Berkeley.) Nullum vero genus perfectiorum fungorum in tropicis ita luxuriat ac Polypororum; ut Agaricini in nostris terris specierum numero excellunt, Polypori forsan in tropicis. At e carnosis Polyporis, tam mesopodibus (P. subsquamoso, ovino, melaleuco etc.), quam Merismaticis et Apodibus, qui silvas nostras ornant, nullus adest e terris calidis, sed e Sikkim Himalayae duos insignes dedit Berkeley. Plurima quoque Hymenomycetum genera, tropicis terris priva, sunt e Polyporeorum grege v. c. Cyclomyces, (nobilissima species tamen ex Ohio Amer. borealis) Hexagona, Favolus, Laschia. Hydna in tropicis terris mire rarescunt et adhuc nulla regio Hydnorum adeo ferax cognita ac Suecia nostra, in qua post editam Synopsin Hymenomycetum ulterius tres novas Mesopodes, unam nulli affinem Pleuropodem, detegere nobis contigit. Auricularini, Polyporis eximie analogi, in terris calidis praepollent.

VIII. Intra regionem temperatam eaedem species ex maxima parte sunt communes v. c. in Europa et America boreali, sed multae Europae orientalis fungi, clima maritimum forsan fugientes, in Europa occidentali desunt, cum multae Europae occidentalis nobilissimi v. c. *Boletus parasiticus, Hydnum Caput Medusae, H. adustum* etc. in Americam borealem transeunt. — Eadem ratio videtur plurimarum specierum tropicarum, tam in India orientali, quam America obviarum. Plurima Sterea, Trametes Hydnoides, Polyporus xanthopus, sanguineus et multi alii omnibus terris calidis communes sunt.

IX. At non modo genera, sed etiam permultae species cosmopolitae sunt, in tropicis et temperatis regionibus aeque frequentes v. c. plures Agarici, praecipue fimicolae, Schizophyllum commune, Lenzites betulina, Polyporus versicolor, igniarius, lucidus etc., Thelephora hirsuta etc. In omnibus tropicis collectionibus multas species Europaeas inveni; tantum in Afzelii e Guinea inter XL species nulla adest Europaea, at forsan vulgatiores Europaeas colligere neglexit; nullus enim adest Agaricus.

X. Cavendum vero, ne fingamus, limites existere acutos inter vegetationem tropicam et temperatam; limites in regionibus intermediis et praecipue in America boreali prorsus confluunt. Jam in regione mediterranea tam inter Lichenes, quam Fungos adsunt indicia generum regionum calidiorum v. c. *Gyrophragmium, Secotium, Xerotus, Favolus,* etc. De plerisque tamen perfectioribus generibus facile est dictu, utrum centro gaudeant tropico an temperato.

XI. Quoad stationes Fungi perfectiores tropici magis epixyli, regionum temperatarum frequentius videntur terrestres. Non tamen desunt in tropicis fungi terrestres, sed in plerisque formatur e mycelio luxuriante, insigniter condensato et saepe limitato, systema vegetativum longe insignius, ut in Scleromatibus terrestribus infra descriptis videre licet. Fungis obiter avulsis in terra manet, quare in Mycophylaciis vulgo deest. Tale mycelium in nullo fungo indigeno vidimus, nam s. d. radix *Agarici radicati* est prolongatio stipitis, radicibus arborum subterraneis affixi, sed in Italico *Polyporo tuberastere* idem videre licet. Ejusmodi mycelia perennia sunt, singulis annis novos fungos enitentes, vulgo e floccis nudis mucosis terram et glaream arcte conglobantibus facta; at quando stipes crusta laccata obductus, haec radix, a stipite licet heterogenea, etiam incrustata est et definita intusque mere spongiosa floccosa, quare cum *Pachymate* confusa fuit. Mycelium ita bene efformatum in climate sicco necessarium videtur ad fungi lenti evolutionem.

XII. In plerisque generibus alius est specierum typus in tropicis, alius in regionibus temperatis. Sic in plerisque speciebus epixylis v. c. Lentinorum, Polypororum, Trametum, Favolorum, Stereorum e. s. p. adest basis peculiari ratione scutato-dilatata, qualis in indigenis simpliciter sessilibus deest. (Inter Agaricos adest modo remotior analogia.) Typus ille singularis umbonato-sessilis Stereorum etiam in multis Polyporis etc. tropicis redit. Species pileo setis ramosis horrido, pileo stipiteque laccatis nitentibus e. s. p. in tropicis longe vulgatiores. Omnes Agaricini phosphorea luce renidentes, unica excepta specie mediterranea, in terris calidioribus habitant.

Plures singulares de specierum distributione et stationibus observationes attulimus in Summa Vegetabilium Scandinaviae. Fungorum diversis locis varietas magis vulgo e physica regionis indole, quam e climate pendet.

HYMENOMYCETES.

Agaricus. L. — Epicr. p. 2.

Agaricinorum species carnosae, utpote conservatu difficiles, parum a peregrinatoribus colliguntur. Quamvis in hoc ordine species longe magis sint definitae et strictius limitatae, quam in reliquis, (terrestres enim sunt, quarum species nobiliores semper magis autonomae; quo magis enim parasitantur, eo magis a matrice, ut Entophyti ab hac unice, pendeant, et in diversis terris mutantur), ad accuratam specierum determinationem necessariae sunt non modo icones, vivis coloribus fucatae, sed etiam specimina in spiritu vini conservata. Talia praebet Cel. Oerstedii collectio, cui debentur species fere omnes infra recensitae, additis modo quibusdam selectis a Cel. Benzon collectis et spiritu vini optime conservatis. Aliae hoc loco omissae sunt vulgatissimae Europeae et vere cosmopolitae v. c. *A. procerus, mutabilis, campestris* et *arvensis, praecox, semiglobatus* etc., vel tam leviter differunt, ut vix distinguantur.

1. A. (Lepiota) excoriatus. Schaeff. — Fr. Epicr. p. 13.
Ad Naranjo in Costa Rica, Majo. *Örst. ic. 26.*

Europaeo minor, cute fusca squamaceo-secedente. — *A. molybdites* Mey. — Epicr. l. c., e Brasilia a Lundio missus, manifeste differt stipite laevi nigricante, pilei superficie farinosa nec floccosa, lamellis coerulescentibus.

2. A. (Lepiota) cepaestipes. Sow. — Fr. Epicr. p. 17. *var. lutea.* Berk.
Ad ligna putrida in Granada, Nicaragua, Junio. *Örst. ic. n. 9.*

Pulcherrima forma, apud nos haud observata, et ab Europaeo simul recedens velo oblitterato, squamulis granulosis, ceterum Boltonii iconi bene respondens.

* A. aspratus. Berk. Dec. n. 143 (e Ceylonia) exactissime sistit *A. muricatum Fr. Obs. 2.*, cujus vero status typicus est ochrosporus (ad analogiam A. echinati) et hinc, confirmante affinitate *A. curvipedis* et *limulati* (ille lamellis, hic pilei indumento simillimus), inter Pholiotas receptus. Cfr. *Icon. in Mus. Ac. Scient. Holm.*

3. A. (Tricholoma) dichropus, pileo carnoso explanato obtuso laevi glabrato (lilacino-purpurascente), stipite solido sursum attenuato concolori, sursum abrupte albo, lamellis adnexis subdistantibus albis.

Ad terram Insulae St. Thomae, Novembri. *Örst. ic. n. 19.*

Cum *A. jonide* comparandus, at stipes abrupte bicolor veli obsoleti praebet indicium. Stipes 2 unc. l. paulo ultra longus, basi 3 — apice 2 lin. crassus, ad $\frac{2}{3}$ lilacino-purpurascens, supra quem argute limitatum colorem

stipes definite albus. Pileus sat firmus, at non crassus, explanatus, obtusus, immo depressus, 2 unc. et ultra latus, marginem versus dilutior. Utrum primitus udus, an sericellus sit non liquet; adultus siccus glaber. Lamellae ut supra, immutabiles; sporae albae.

4. A. (Tricholoma) sordidus. Epicr. p. 53.
Cum praecedente.

5. A. (Clitocybe) rivulosus. P. — Fr. Epicr. p. 61.
Juxta vias in Antillis. *Benzon.*

Vulgatissima haec et cosmopolita species mycologis paene incognita videtur, quare facile fingerem sub novis nominibus venditari.

6. A. (Collybia) ramosus. Bull. — Epicr. p. 86.

In truncis Indiae occidentalis! — Inter icones Örstedii (n. 15) exstat individuum simplex, pusillum (Paul. t. III. f. 3) e truncis Insulae St. Thomae, vix distinguendum. Vellem enim Mycologi tenerent legem, species non esse distinguendas, quum nescimus, quorsum pertineant; sed eas modo, quarum affinitates et differentias simul clare perspicimus.

7. A. (Collybia) Michelianus. Fr. — Ep. p. 94.

Ad radices graminum Indiae occidentalis, crescendi modo *A. C. cauticinalem* revocans, sed glaber et mollior, stipite albo; in utroque lamellae veri Agarici, nec Marasmii, cui generi ille ceterum prope accedit. — An ab *A. Micheliano* separandus *Örst. ic. n. 29*, duplo major, pileo hemisphaerico umbonato, in terra humida ad Naranjo in Costa Rica Majo — non liquet.

8. A. (Omphalia) carneolus, pileo carnosulo e convexo explanato depressoque, demum revoluto rimoso-lacerato carneo, stipite cartilagineo nitido aequali saturate rubro, lamellis aduato-decurrentibus crassis distantibus pallidioribus.

In terra humida ad Naranjo in Costa Rica. Majo. *Örst. ic. n. 50.*

Proximus videtur *A. murali,* nec *A. demisso* absimilis. Stipes vero fere corneus, farctus, aequalis, uncialis circiter, lineam crassus, rectus l. curvatus, laevis, glaber. Pileus uncialis, primo plano-convexus, margine involuto, dein explanatus, subrepandus, demum revolutus ad medium rimose fissus et laceratus, quo a Marasmiis subsimilibus recedit.

9. A. (Pleurotus) limpidus. Epicr. 135, (pileo reniformi.)
Ad truncos in Costa-Rica. *Ic. n. 59.*

10. Ag. (Flammula) Ricensis, pileo carnoso convexo laevi (pruinoso?) fulvo-ferrugineo, margine arcte involuto, stipite cavo brevi nudo pallido, basi inflato, lamellis adnatis confertis tenuibus fulvo-cinnamomeis.

Ad terram in Costa Rica, copiose.

Hic non depictus, sed copiosa adsunt specimina bene conservata, ut facile determinare liceat hanc e stirpe *A. peregrini* speciem trivialem, olim e Brasilia quoque receptam. Velum nullum. Stipes unciam vix attingens, minorum a basi ad apicem attenuatus, majorum basi inflatus, inferne 3—4 lin. crassus, pallescens, glaber, haud cartilagineus. Pileus convexus, obtusus, siccus, absque floccis squamisve, at impolitus. Caro tenuis, fulvella. Lamellae lineam latae, haud decolorantes l. pulveraceae ut in Cortinariis.

11. Ag. (Flammula) peregrinus. Fr. El. p. 31.

In truncis Insulae St. Crucis. *Benzon.*

12. Ag. (Naucoria) pediades. Epicr. p. 197.

Ad Morningstar in Ins. St. Crucis, Octobri. *Ic. n. 25.*

13. Ag. (Naucoria) arenicola. Berk. Fung. Zeyh. n. 6.

Ad terram in Vulcano Irasa. *Ic. n. 16.*

14. Ag. (Naucoria) semiorbicularis. Bull. — Ep. p. 177.

Ad terram prope Naranjo, mense Majo. *Ic. n. 17.*

Hic sat conspicue ab Europaeo differt, lamellis magis distantibus fuscescentibus, sed specim. in spic. vini servata mutata videntur.

† Ag. (Galera) flocculentus? Ep. p. 209.

Ad terram fimetosam prope Naranjo, Costa-Rica, mense Majo. *Örst. ic. n. 6.*

Exacte refert varietatem pallidiorem *A. teneri*, juxta vias prope Upsaliam obviam, at inventor in sched. pileum subsquamulosum describit, quod ad A. flocculentum propius accedit. Dubius tamen!

15. Ag. (Psalliota) jejunus, pileo carnoso tenui e campanulato expanso, disco gibbo laevi umbrino, ceterum in squamas pilosas adpressas rufofuscas secedente, stipite cavo a basi incrassata aequaliter attenuato, annulo lacero evanescente, lamellis liberis confertissimis demum nigris.

In Antillis una cum *A. campestri* et *arvensi.* A. silvaticum primo obtutu in memoriam revocat, at stipite pileique indole potius ad *Proceros* v. c. *A. mastoideum* (multo tenuiorem tamen) accedit. Stipes 3 unc. usque longus, a basi bulbosa aequaliter attenuatus, ut apice vix 2 lin. crassus, imma-

culatus, albidus. Pileus tenuis, mollis, $2\frac{1}{2}$ unc. et ultra latus, demum planus. Lamellae plane liberae, at nullo collario remotae, multo magis numerosae et confertae, quam in *Campestribus* Europaeis, in siccis aridae et atrae. Annulus completus in nostris specc. deest. Plures novos affines extraeuropaeos descripsit *Berkeley*.

PILOSACE, n. subg. e serie Pratellorum.

Hymenophorum a stipite discretum. Lamellae liberae et in prima saltim specie collario, instar A. proceri, a stipite remotae. Velum nullum. Sporidia fusca. *Proximum Psalliotis, at annulus nullus,* ut Plutei Volvariis. Ad hoc subgenus insuper pertinent *A. Phoenix* Epicr. p. 225, *A. exaltatus* Berk. Cent. III. 291.

16. AG. (PILOSACE) TRICHOLEPIS, pileo carnoso convexo-expanso obtuso, cute in squamas pilosas confertas fuscescentes secedente, stipite firmo nudo rufescente apice dilatato, lamellis liberis collario remotis confertis fuligineis.

In terra fimetosa Ins. St. Thomae. *Ic. n. 20.*

Speciosus fungus, Psalliotis affinis, sed absque veli vestigio. Stipes 5—6 unc. longus, 3—4 lin. crassus, aequalis, fissilis, nudus, gilvo-rufescens, apice in orbem, a carne pilei secedentem et collarium praebentem, dilatatus. Pileus firmus, at non compactus, molliter convexus, obtusus, 4 unc. latus, albidus, squamis pilosis nigricanti-variegatus, ut in Lentino tigrino. Lamellae angustae, ex icone olivaceo-fuligineae.

17. AG. (PILOSACE) HOLOLEPIS, pileo carnoso convexo obtuso albido, cute in squamas sparsas adpressas glabras concolores secedente, stipite e basi bulbosa aequali nudo albido, lamellis liberis fuscis.

In Costa Rica ad terram. *Ic. n. 28.*

Stipes aequalis, at basi in bulbum inflatus, 2 unc. longus, 2—3 lin. crassus, candidus. Pileus firmus, 2 unc. et ultra latus, cute in vertice granulosa, ceterum in squamas adpressas laceratus. Lamellas rite examinare non licuit, hinc nescimus an collario a stipite remotae sint ut in praecedente, cui manifeste affinis.

18. AG. (PSILOCYBE) ANTILLARUM. Epicr. p. 225. Var. *praelonga,* pileo laevi.

Ad terram insulae St. Crucis. *Örst. ic. n. 22.*

Statura *A. radicati* gracilescentis et elongati. Stipes ultra spithamam longus, basi 3—4, apice 2 lin. crassus, attenuatus, striatus. Pileus carno-

sus, sat firmus, obtusus, laevis, glaber, griseus, pallescens. Nobilis et facile recognita species.

19. Ag. (Psilocybe) foenisecii. Epicr. p. 227.

Ad Descansadero in Costa Rica.

20. Ag. (Psathyra) pseudotener, pileo carnosulo campanulato glabro laevi helvolo-pallescente, stipite fistuloso aequali nudo deorsum ferruginascente, lamellis adscendentibus confertis fuscis.

Ad Naranjo, mense Majo. *Ic. n. 14.*

Habitus *A. teneri* aut potius *A. siliginei,* at sat firmus et lamellae fuscae. Stipes 2 unc. et ultra longus, lineam crassus, aequalis, apice albidus. Pileus unciam fere altus et latus, omnino exstrius, margine recto subrepando. Cum hoc conferendus est *A. tener* (supra n. 14, b.) valde similis et sporidiis ignotis e lamellarum colore tantum ad Derminos relatus. — Hic et duo sequentes, bene diversi, peculiarem stirpem inter Galeras exhibent.

21. Ag. (Psathyra) bulbillosus, pileo carnosulo elongato-conico laevi glabro helvolo-fuscescente, margine recto, stipite fistuloso laevi glabro lutescente, basi bulbilloso, lamellis adscendentibus linearibus fuscis.

Ad terram prope Cartago, Costa-Rica, Majo. *Ic. n. 15.*

Agaricum callosum in memoriam revocat, at firmior. Stirpes uncialis, lineam et ultra crassus, bulbillo ad basin excepto aequalis, pallide luteus. Pileus carnosulus et omnino exstrius, glaber, 6—8 lin. altus (numquam expansus visus), sordide luteus, opacus. Lamellae in coni fundo adscendentes, fere perpendiculares, lineares, e fusco nigricantes. Colores ex icone indicavi; specimina in spir. vini servata tota fuscescunt.

22. Ag. (Psathyra) epibates, pileo membranaceo parabolico glabro luteo, circa marginem rectum striato, stipite fistuloso concolori subfiliformi, basi orbiculari inserto, lamellis adscendentibus fuscis.

In ligno putrido ad Naranjo, Costa Rica, Majo. *Ic. n. 10.*

Dispersus nascitur, pusillus, prioribus manifeste affinis, sed statura et basis omnino *A. (Mycenae) stylobatis.* Stipes fere capillaris, basi orbiculari matrici applanata excepta omnino aequalis, vix unciam longus, laevis, glaber, luteus. Pileus membranaceus, sed sat tenax, parabolicus (altior, quam latus), 2—3 lin., saturate luteus. *Agarici echinulati*, ceterum distinctissimi, icon a Berkeleyo data hunc, demtis pilis, exactissime refert.

23. A. (Panaeolus) phalenarum. Epicr. p. 325.

In insula St. Thomae, Novembri. *Örst. ic. n. 25.*

Stipes albidus, deorsum lutescens. Pileus fere parabolicus, obtusus, albidus, areolato-maculatus, non rimoso-diffractus ut in A. papilionaceo et sepulchrali.

24. A. (Panaeolus) campanulatus. L. — Epicr. p. 236.

Ad terram in Costa Rica! — Var. colore pallido, albido-gilvo, stipite dilute rufescente. *Örst. ic. n. 24.*

25. A. (Psathyrella) hiascens. Epicr. p. 238.

Ad terram in Costa Rica, catervatim, Novembri. *Örst. ic. n. 5.* Hiatulis non absimilis, at melanosporus.

Hiatula. Nov. subgenus.

Pileus tenuissimus, epelliculosus, e dorsis lamellarum junctis formatus, expansus veliformi-fissus, ut in tenerrimis Coprinis, at non diffluens et sporidia alba!

Novum crederem genus, nisi inter Coprinos eadem differentia rediret. Pertinet enim ad *Leucospororum* seriem, sed inter illos insertum hanc interrumperet, licet habitus Mycenae. Inter Europaeos hic typus desideratur. Ab Heliomycete, mihi ad genuinas species ignoto (vidi modo Berkeleyi, Marasmiis nimis vicinas) manifeste differunt: stipite cartilagineo albo, lamellis nullo modo gelatinosis.

26. A. (Hiatula) discreta. Epicr. p. 104. El. p. 20.

In insula St. Crucis. *Benzon.*

27. A. (Hiatula) Benzoni, ll. cc.

Cum praecedente.

28. A. (Hiatula) ciliatula, pileo tenerrimo campanulato-convexo obtuso pellucido radiato-plicato cinereo, margine ciliatulo, stipite aequali glabro lamellisque attingentibus distantibus albis.

In ligno putrido ad Naranjo, Costa Rica, Majo. *Örst. ic. n. 1, 2.*

Habitus Mycenae. Stipes fistulosus, unciam longus, lineam crassus, aequalis, laevis, glaber, albus, basi fuscescens. Pileus membranaceus, campanulato-convexus, obtusus, unciam hanc attingens, radiato-sulcatus plicatusque, margine primo incurvo, dein patente ciliatulo; ciliis oculo armato conspiciendis. Lamellae albae immutabiles, distantes, alternae breviores, longiores flexuosae.

29. A. (Hiatula) crenulata, pileo tenerrimo pellucido, explanato radiato sulcato plicatoque livido, margine crenulato, stipite aequali glabro candido, lamellis adnexis planis distantibus albis.

In insula S. Lucae ad oras occidentales Costa-Ricae, Augusto. *Örst. ic. n. 5.*

Stipes fistulosus, basi bulbillosus, ceterum aequalis, 2—3 unc. longus, lineam crassus, omnino candidus. Pileus tenuissimus, omnino excarnis, delicatus, explanatus 1½ unc. latus, utpote hiascens late et profunde radiato-sulcatus plicatusque, lividus, vertice 2 lin. lato laevi fuscescente, at non umbonato; margine secus plicas pilei crenulatus. Lamellae ut supra. Sporidia alba. Habitus Coprini ephemeri, at multo major.

30. Agaricus incertae affinitatis, at nobilissimus.

Ad Puntarenam in Costa Rica, Junio. *Örst. ic. n. 21.*

Stipes validus, 4—5 unc. longus, ad basin incrassatus, sursum aequaliter attenuatus, 3—4 lin. crassus, albidus, dilute rufescens, infra medium squamarum adpressarum corona cinctus. Pileus videtur carnosulus, exquisite globosus, margine stipitem arcte amplectens, glaber, ad latera remote sulcatus, diametro 1½ unc. Lamellae in icone non conspiciuntur, sed ad basin pilei observatur limbus regularis, qui primitus videtur fuisse contiguus cum calyptra verticem tegente? ideoque praebuisse velum pilei universale, a stipite discretum. Nullum adest specimen, quare fungum admodum singularem non intelligo.

Bolbitius. Epicr. p. 253.

1. Bolbitius villipes, pileo submembranaceo e glandiformi explanato sulcato sulfureo nitido, disco fulvo laevi, stipite fistuloso aequali undique piloso-villoso, lamellis luteis.

Ad terram fimetosam ad Naranjo, Majo. *Örsted. ic. n. 18.*

Pulchra, splendida species. Stipes 2 unc. longus, ultra lineam crassus, rectus vel e pilei pondere titubans, pileo saturatius coloratus, helvolus, undique pilis brevibus confertis vestitus. Pileus 1½ unc. latus, in ambitu radiato-striatus. Speciebus europaeis maxime affinis, colore et vestitu stipitis mox distinctus.

2. B. fragilis. Epicr. l. c. — Ex Antillis.

Coprinus. Epicr. p. 241.

E regionibus calidioribus reportantur saepe vulgatae nostrae species: *C. comatus, atramentarius* etc.

1. Coprinus armillaris, pileo tenuissimo pellucido, primo conico, demum expanso plano veliformi radiato-sulcato albido, stipite fistuloso a basi ventricosa attenuato subsquamuloso, annulo medio integro, lamellis primo albis.

In insula St. Thomae, Novembri. *Örsted. ic. 7, 8.*

Est e stirpe *Cyclodeorum*, omnium pulcherrimus. Stipes e basi longe (nec crasse) ventricosa sensim attenuatus (inferne 3, apice 1 lin. crassus), subulatus, 2—3 unc. longus, primo flocculoso-squamosus, dein nudus, albidus, inferne saepe coloratus, rubescens l. lusescens. Annulus exiguus, sed integer, exacte medius et persistens. Pileus excarnis et fragillimus, expansus uncialis et ultra, albidus, vertice cinerascens.

2. Coprinus ephemerus. Epicr. p. 252.

In insula St. Thomae, Ind. occid. Nov.

3. Coprinus plicatilis. Epicr. p. 252.

Ad Morningstar insulae St. Crucis. Oct.

Icon *Örst.* n. 4 stipite longiori et pilei habitu a nostro recedit, at specimen in spir. vini bene conservatum cum Europaeo exacte congruit.

4. Coprinus . . . . . ., pileo submembranaceo cylindrico-oblongo laevi cinereo, vertice albo, stipite solido? brevi albido, lamellis aequalibus coerulescentibus.

Ad truncos Naranjo, Majo. *Örst. ic. n. 12.*

Sat insignis, at nondum rite evolutus, hinc non definiendus.

Hygrophorus. Epicr. p. 320.

1. H.? variolosus, pileo carnoso convexo laevi glabro griseo, margine involuto, dein fusco maculis farinosis albis variegato, stipite solido glabro albo, lamellis adnatis distantibus ramosis alboglaucescentibus.

Ad Quebradahonda in Costa Rica, ad terram. *Örst. ic. n. 27.*

Nullus adest, cum quo comparetur; neque ex icone, nec ad optima specimina, in sp. vini servata, plene genus eruere licet. Habitu et lamellis ad *H. unguinosum, murinaceum* quidem accedit, sed pileus vix viscidus — et quid sint soredia alba maculaeformia, squamis Amanitarum similia, in pileo efflorescentia (non Mucedo parasitica!) et e cute quasi relaxata formata, non capio. Stipes solidus, e basi incrassata leviter attenuatus, $1\frac{1}{2}$ unc. longus, 2 lin. circiter crassus, curvulus, glaber. Pileus vere carnosus, at non compactus, unciam l. parum ultra latus, bullato-convexus, margine inflexo; primo laevis, glaber, griseus; dein fuscus albo-maculatus. Lamellae ex icone ramosae et divergentes.

Stylobates. Epicr. p. 310. Montagn. ic. ined.

1. S. paradoxus, l. c. ubi speciei descr.

In Guinea ad ligna sub terra putrescentia locis arenosis. *Afzelius.*

Marasmius. Epicr. p. 373.

Heliomycetes *Lev.*, quatenus »*lamellae gelatinosae*«, omnino genere movendi sunt; at in omnibus speciebus mihi cognitis (Heliomyc. Leveilliano *Berk.*!, H. caryotae *Berk.*! H. brevipede *Mont.* etc.) lamellae molliores quidem sunt, ut in *M. chordali* et fere etiam *M. oreadi*, at hi affinitate proximis intime conjuncti.

1. M. (collyb.) arecarius. Epicr. p. 386. *A. parvulus.* Korth. non obstat. — Var. *tenella*, stipite tenello fuscescente.

In ligno putrido ad Morningstar Insulae St. Crucis, Oct. *Örst. ic. n. 51.*

Species tenella, stipite siccitate flexuoso et incurvato. In icone vivi fungi stipes ex magna parte fuscescens, apice modo albus et pileus omnino exstrius, 3 lin. circiter latus, disco obscuriori pallescens. — Frustra apud Auctores recentiores quaesivi: *M. opacus* Berk. et Curt.! in Sill. Journ. 1850 Mars p. 173. stipite multo firmiori, Oreadium instar villoso-corticato, *M. scorteo* simillimus, modo minor et loco diversus.

* *M. Spitgerberi* Montagn. Cent. III. n. 41, sub *Agarico,* nostro simillimus est, at stipite bulboso fusco-violaceo certe diversus.

2. M. (Collyb.) hyperellus, pileo tenuissimo membranaceo plano umbilicato dense sulcato albido, stipite fistuloso filiformi glabro fusco, lamellis subdecurrentibus distantibus tenellis albidis.

Ad stipulas. *Örsted. n. 25* sine icone et loco speciali.

Specimina in spir. vini bene conservata; affinis *M. Vaillantii,* at minor. Stipes insititius, basi orbiculari cinctus, $1\frac{1}{2}$ unc. longus, aequalis, fusconigricans. Pileus pellucidus, admodum tenuis, sed aridus, orbicularis, 6 lin. latus, lineato-striatus, vix plicatus, siccus rugulosus. Lamellae distinctae (i. e. venis haud connexae). — Primo obtutu pro M. mitiusculo *Berkel. Bras. n. 5* (sub Agar.) habui, at stipite glabro distinctus.

3. M. (collyb.) Korthalsii, pileo membranaceo e convexo plano obtuso striato velutino fulvo, stipite fistuloso setaceo glabro fusco, tuberculo albo villoso innato, lamellis adnatis distantibus, alternis brevioribus, pallidis.

A. tenuipes. *Lev. in Ann. Sc. Nat.* 1844. II. p. 170 non *Ejusd. 1846.* p. 114.

In insula Nikobar ad ramenta. *Kamphörener.* Statura subsequentis. Color siccitate obscurior.

* *Mar. xerophyllum* Berk. Mag. Hist. Nat. X. t. 14 (sub Agar.) — pileo reticulato rugoso, stipite velutino, lamellisque ramosis — distinctissimus est.

4. M. (Myc.) haematocephalus. Epicr. p. 382. *Mont. Cub. t. 17. f. 4.* *Ag. haematocephalus.* Montagne in Ann. Sc. Nat. et Crypt. Bras.

In regionibus calidioribus vulgaris.

A sequente, cum quo definitio l. c. data etiam convenit, differt statura duplo majori, colore sicci atropurpureo, stipite basi dilatata adfixo, pilei (expansi 6 lin. lati) margine crenato-dentato, lamellis eximie venoso-connexis.

5. M. (Mycen.) rhodocephalus, pileo membranaceo convexo plano sulcato persistenter roseo-rubro, margine integro, stipite setiformi glabro nitido fuscopallido basi simplici insititio, lamellis adnatis aequalibus paucis valde distantibus pallidis.

Ad ramos radicesque emortuos ad Mirador, regni Mexicani. *Liebman.*

Proximis intermedius, colore pilei elegantissimo roseo-rubro persistente (nec expallente, nec in siccis obscurato), praecipue diversus, forte varietas! Stipes uncialis l. parum ultra, omnino setae forma et substantia, fuscescens, sed micore argenteo vibrans; basis primo albido-villosa, mox nuda, haud dilatata. Pileus 2—3 lin. latus, secus lamellas profunde sulcatus, ceterum laevis et glaber. Lamellae venis haud connexae, sed postice junctae. M. pyrrhocephalus *Berk. Dec. n. 118* mycelio albo et stipite piloso longius recedit.

6. M. (Mycen.) similis. Berk. et Curt.! in Sill. Journ. 1850 Mars p. 173. *Ag. tenuipes.* Leveill. in Ann. Sc. Nat. 1846 p. 114 non obstat nec l. c. 1844 p. 170.

Ad stipulas ad Mirador, regni Mexicani. *Liebman.* M. androsaceum maxime refert, pileo albido, in siccis fuscescente.

7. M. (Mycen.) bambusinus. Epicr. p. 46. *M. stipulicola.* Cesati! — Rabenh. H. Myc. 1402 exactissime!

Ad culmos dejectos Sacchari in Antillis. *Benzon.* Vulgata species!

* M. graminum *Berk.*, secundum specimina a Rev. Curtisio missa, ab hoc varietatis instar discernere tantum valeo. — *M. trichophorus. Zipp.* (sub Agar.) differt pileo setoso.

8. M. (Mycen.) glebigenus, pileo tenerrimo membranaceo e campanulato convexo umbilicatoque rare et profunde pauciplicato, albido, stipite gracillimo glabro fusco-nigro, bulbillo gleboso innato, lamellis paucis aequalibus liberis.

Ad Morningstar, in ins. St. Crucis, ad terram, quam conglobat: *Örsted. ic. n. 42.*

Specimina in spir. vini bene conservata singularem in hoc genere praebent characterem; non, ut vicini, epiphytus est, sed glebis variae formae, nunc globularibus, nunc rhizomorphis, innascitur; hae vero glebae facillime friabiles sunt et sine dubio e terra mycelii ope conglobata. Fungus ipse *M. rotulam* satis refert, fascicularis, tenellus, sed aridus et stipites fere capillares, tenaces, 2—3 unc. longi, fusco-nigri. Pileus tenerrimus, profunde pauciplicatus, hinc margine *quasi crenatus,* 2—3 lin. latus, primo campanulatus, dein expansus et umbilicatus, omnino ad typum *M. Rotulae.* Lamellae paucae, sat latae, valde distantes, omnes aequales et postice collario destitutae.

* M. SCLEROPHORUS *Korth.* (sub Agarico) a priori luculenter differt pileo lamellisque fulvis.

9. M.? PRUINOSUS, candidus, *pileo* membranaceo campanulato-cucullato obtuso *farinoso* nutante, stipite filiformi aequali glabro, lamellis?

Ad ligna putrida ad Naranjo, Costa Rica. *Örst. ic. n. 41.*

Dubia species, cujus nulla adsunt specimina, modo icon, in qua lamellae haud distincte expositae sunt. In schedula persistens dicitur, ceterum Agarico capillari similis, at stipes brevior firmiorque et »pileo farinoso« manifeste differt.

LENTINUS. Epicr. p. 387.

Genus vastissimum in regionibus calidioribus, sed species epixylae infinite ludunt quoad staturam, magnitudinem et colores, ut indigenae vulgatissimae v. c. *L. lepideus* clare testantur; hic nunc mesopus, nunc pleuropus apusve, stipite nunc brevi simplici, nunc elongato connato-ramoso; pileus nunc cucullato-campanulatus, nunc convexus l. depressus, nunc dimidiato-linguaeformis, ut in icone Buxbaumii: pileus vulgo squamoso-maculatus et lutescens, sed etiam variat sericeus, candidus e. s. p. Quoad formam adhuc magis proteus est *L. cochleatus,* cujus duo similia vix legere licet individua. Hinc non dubito inter numerosas recentius distinctas species, utpote ad individua in herbariis propositas, plures esse varietates l. jam cognitarum synonyma; haec vero frustaneum esset opus sine comparatione speciminum ectyporum citare. Hinc plurimas mihi recentius allatas ad species jam descriptas retuli et magis priscas plenius exponere, quam novas proponere, studui.

1. L. (CRINITI) NIGRIPES. Syn. Lent. p. 4. Epicr. p. 387. Berk. in Transact. Linn. Soc. XVIII. t. 9. f. 4.

In ligno putrido montis Aguacate in Costa Rica. *Örsted.*

Specimina, loco citato lecta, optime respondent iconi *Berkeleyi*, at triplo fere minora sunt, quam a me in *Syn. Lentin.* descripta. Stipes lignosus, tener, aequalis l. basi bulbosa adnatus, 2 lin. crassus, fusco-niger, impolitus, apice pallidior furfurellus. Pileus coriaceus, tenuis, profunde umbilicatus, fere infundibuliformis, at marginem versus convexus et involutus, $1\frac{1}{2}$ unc. latus, umbrinus, piloso-crinitus. Lamellae subferrugineae, parum inaequales, glandulosae.

2. L. (Criniti) Bertieri. Epicr. p. 387.

Ad San Joce in Costa Rica. *Örsted.*

Bene convenit cum fungo ex Antillis olim recepto et in Syn. Lent. descripto. Dignoscitur stipite pallido, furfure detersili consperso nec innato-villoso.

3. L. (Criniti) Lecomtei. Epicr. p. 388. Mont. Cub. p. 417. *A. macrosporus.* Mont. Cent. 1.

Ad hanc late dispersam speciem referam specimen ad Mirador, regni Mexicani, a Cel. *Liebmanno* lectum, vetustum, pileo exoleto canescente! Indumentum stipitis densum setoso-velutinum etiam postice in lamellas adscendens, ut in *L. fulvo* Berk. Mag. Nat. Hist. X. t. 9, cui specimen praesens potius forsan referendum, licet colores differant.

4. L. (Criniti) villosus. *Syn. Lent. p. 5.* Epicr. p. 388. Berk. l. c. n. 8. *Lent. stuppeus* Klotzsch in Linn. X.

E Costa Rica ad San Ioce. *Örsted.*

Commutationem nominum *Lentini villosi* et *stuppei*, jam in Epicrisi odoratam, tam inter se, quam cum L. nigripede exposuit Cel. *Berkeley*, quare *Synopsis Lentinorum* tamquam omnium fons definitus citanda.

5. L. (Criniti) cirrhosus. Epicr. p. 388.

Ad terram glareosam in Guinea. *Afz. ic. 21.*

Proximus *L. stuppeo*, fibrillis vero pilei laxis, lamellis dichotomis, praecipue vero radice et stipitis indumento insigniter differt. Parvus, una cum radice 2 unc. longus, fusco-murinus. Radix fere uncialis, stipite duplo l. triplo crassior, clavata, intus cum stipite similaris, sed ejus pubes sub terra in floccos excrescit et glaream secum conglutinat indeque incrassatur. Stipes (supra terram) fistulosus, vix uncialis, lineam crassus, sursum in pileum ampliatus, velutinus, tactu mollis; tomentum vero sub fortioribus vitris re-

fert aculeos tenuissimos strictos simplices stipatos aequales fulventes. Pileus membranaceus, tenuis, 5—8 lin. latus, orbicularis, disco depresso nigricante, margine arcte involuto; undique pilis laxis flexuoso-cirrhosis, in margine rigidioribus, vestitus. Lamellae decurrentes, arcuatae, distantes (haud numerosae), angustae, tenues, semel bisve dichotomae (nullae dimidiatae), repando-denticulatae.

6. L. (Criniti) Swartzii. Berk. *L. crinitus.* Swartz. — Berk. in Ann. Nat. hist. 1843. t. 9. f. 2.

In Antillis. *Swartz., Benzon.*

Hic est *Ag. Essequeboensis* Mey. — Syst. Myc. 1. p. 175, quem tum rite distinguebam a *L. crinito* L. *S. M. l. c.,* cujus specimen a Rolandro lectum Lundae vidi. — Serius Upsaliam nactus et Herb. Swartzii lustrans mox perspexi identitatem *Lentini essequeboensis* cum A. crinito *Sw.,* et hujus fide L. crinito in Epicr. subjungebam. A *L. crinito* igitur haec synonyma excludenda.

7. L. (Criniti) chaetoloma, pileo coriaceo-membranaceo infundibuliformi a centro glabrato radiante fulvo-ferrugineo, margine laevi setoso-ciliato, stipite solido aequali leproso brunneo, lamellis decurrentibus simplicibus aequalibus confertis integerrimis pallidis.

Ad ligna putrida ad San Ioce in Costa Rica. *Örsted.*

Prioribus tenuior, *siccus flaccidus,* nec ligneo-rigens. Stipes vero lignosus, teres, unciam longus, lineam crassus, floccis leproso-velatus (nec glaber, nec setoso-hispidus). Pileus centralis, tenuis, totus profunde infundibuliformis, *margine quoque erecto,* glaber quidem, sed, quasi e fibris innatis, a disco versus ambitum radiato-virgatus, circa marginem setoso-pilosus et ipso margine pulchre ciliato-setosus, sesquiuncialis. Lamellae ut supra. Proximus *L. tenero,* qui in his collectionibus deest. A reliquis ciliatis (L. ciliato *Lev.*, setigero *Lev.,* L. glabrato *Mont.* etc.) pluribus notis recedit.

* L. (Lepidei) sitaneus. Epicr. p. 390.

L. tigrini status degener *Berk. Dec. post. n.* 77 hunc, lamellis frequenter anastomosantibus, potissimum spectat.

8. L. (Lepidei) suffrutescens. Epicr. p. 393.

Hujus australioris speciei statum deformem, potius quam borealis *L. lepidei,* sistit *Örst. ic. n. 42.*

Ad Quebradahonda in Costa Rica.

L. suffrutescens vegetationis rationibus (formis illis pileo destitutis, vulgo *Ramaria Ceratoides* dictis et jam a Battara in *L. tigrino* pictis), stru-

ctura, stipite squamoso subvelato et lamellis, ita intime cognatus est cum Lepideis Epicr. n. 13—17, ut ad eandem tribum referatur. Statura, ut in L. lepideo, infinite varia, lamellis vero pallide cinnamomeis distinctus. Recedit quidem pileo laevi et glabro, sed etiam in *L. lepideo* observatur varietas laevis et in *L. suffrutescente* tessulato-squamosus. Statum juniorem et magis normalem hujus speciei sistit *Lent. Monnardianus* Mont. in Exped. sc. Alg. t. 20. f. 2.

* L. (Dermodei) hornotinus. Epicr. p. 319.

Pileus vetustior in colorem alutaceum abit. Lamellae saepe postice anastomosantes, hinc affinis est *L. revelatus* Berk. Dec. n. 160, pilei colore modo recedens.

Obs. L. resinaceum *Trog.* amicissimus inventor a *L. pulverulento* Epicr. l. c. haud differre per litteras monet.

9. L. (Dermodei) furfurosus. Epicr. l. c.

In Costa Rica, ad terram.

Species bene diversa, cum *Ag. omphalomorpho* Bert. (Cfr. Mont. Cent. 1. n. 59) facile congrua; at mutato genere etiam speciei nomen, in hoc genere vagum, mutare necesse duxi.

* L. (Dermodei) alopecinus. Epicr. p. 392.

Ut *Lent. badius* Berk. ad Scleromata, hic ad Cornucopioideos transitum praebet. *L. polychrous* Lev. L. alopecino accedit, ut n. 15 infra L. teneri.

Scleroma. Tribus nova.

Lignoso-indurati; stipite absque velo, sed vellere velutino primitus obducto, in plerisque (forsan omnibus, licet in speciminibus avulsis basis in Mycophylaciis desit) mycelio terram in massam informem conglobante. Pileus glaber, laevis l. squamato-maculatus (non pilosus l. diffracto-squamosus). Lamellae tenues, aequales, simplices l. dichotomae. *Regionibus calidis privi;* Cornucopioidei, *maxime affines, stipite glabro et pileo tenuiori* recedunt. H. l. *L. giganteus, maculatus, obnubilus, stenophyllus* Berk., *L. javanicus* Lev., at lamellae dicuntur polydynamae?

10. L. (Scleroma) descendens. Epicr. p. 390.

In terra glareosa Guineae. *Afzelius. Ic. 22.*

Radix e mycelio albo floccoso terram arcte et definite conglobante, nunc longa (3 pollices) fusiformis, nunc tuberosa fere lapidea. Stipes cum radice contiguus, solidus, ligneo-durissimus, pollicem crassus, longitudine va-

rius (nunc $\frac{1}{2}$, nunc 2 unc. longus), obductus cuticula flocculosa fuscescente, passim squamulosa, sed hac detersa stipes laevis, glaber, ligneo-pallescens. Pileus stipiti contiguus, disco compactus, versus marginem repandum tenuis, valde rigidus, primo omnino erectus subclavatus (instar Craterelli clavati), $1\frac{1}{2}$ unc. latus, superne scyphiformi-excavatus, dein ad 4—6 unc. ampliatus, late infundibuliformis, margine revoluto fissili. Superficies alutacea, glabra quidem; sed squamulis parvis, maculaeformibus, in disco confertioribus, versus marginem evanescentibus, adspersus. Lamellae decurrentes, in junioribus basi anastomosantes, numerosissimae, confertissimae, admodum tenues (minime venosae) $\frac{1}{2}$ lin. latae, repetito-dichotomae, at nullae abbreviatae intermixtae, acie acutissimae, at integerrimae: albidae, in siccis fulventes. — Ad hanc nobilissimam speciem, novum typum et Russulam quasi lignosam praebentem, plures accedunt novae a Cel. *Berkeley* e Ceylonia descriptae. Icon *Lentini stenophylli* nostrum perbene refert. *L. giganteus* lamellis latioribus, minus confertis longius distat.

11. L. (Scleroma) Princeps. Epicr. p. 392.

In Guinea in terra nuda (*Afzelius*); plures gregarii et interdum concrescentes, e mycelio terram in massam informem induratam conglobante.

Hic, priori minor et magis mutabilis, forma, pileo immaculato et lamellis simplicibus mox distinctus. Stipes lignoso-durissimus, $1\frac{1}{2}$ unc. longus, digitis crassitie, interdum concrescendo divisus, laevis, primitus vellere villoso obductus, demum glabratus, alutaceus, intus albus. Pileus quoque lignosus, disco compactus (carne alutacea) versus marginem tenuis, plano-infundibuliformis, prioris magis patens, regularis, 3 unc. latus, laevis, glaber, semper immaculatus, dilute alutaceus. Lamellae decurrentes, numerosissimae, confertissimae, aequales, simplices, integerrimae, prioris latiores, stramineo-albae.

12. L. (Scleroma) Tuber-regium, pileo coriaceo-lento tenui infundibuliformi aequali squamoso-maculato e pallido fusco, margine primo reflexo, dein undulato fissili, stipite elongato gracili primitus velutino, lamellis decurrentibus confertissimis aequalibus e pallido fulventibus. — *Epicr. p. 392.*

Ad terram in insulis Archipelagi indici, sat frequens.

Descr. ampla, a Rumphio data, fungum juniorem spectat (e qua primo carnoso-lentus, quod ipse in vicinis non observavi!) quare pleniorem addere necesse est. Priorum more terram conglobat, sed hoc mycelium (mere glebosum) plane diversum est a *Pachymate Tubere regio,* cum quo

commutabat Rumphius. Stipes ut priorum solidus et lignosus, sed valde gracilis et elongatus (ut in *L. obnubilo* Berk., stipite valido, lamellisque magis distantibus clare diverso), subaequalis, primitus certe velamine reliquorum obductus, licet obiter inspectus appareat nudus, pallidus. Pileus Cornucopioideorum, admodum tenuis, nec priorum disco compactus, neque primitus clavaeformis, sed profunde umbilicatus, regularis, margine deflexo, adultior magis expansus 3—4 unc., margine erecto undulato-lobato facile fissili, squamoso-maculatus, glaber, e colore pallido per cinereum in fuscum transiens. Lamellae ut in *L. Sajor-caju,* cui facile proprior. — *L. javanicus* Lev. stipite hirto, lamellis rutilis (polydynamis?) omnino diversus apparet.

13. L. (Cornucopioid.) pergamenus **leucochrous,* caespitosus, albus, pileo coriaceo-membranaceo infundibuliformi laevi, margine brevi reflexo, stipiteque solido glabris, lamellis longe decurrentibus tenuibus confertissimis integerrimis.

L. leucochrous et L. Cladopus. *Lev. Bonit. p. 172, 173.*

* *ochroleucus,* lamellis fulventibus. *L. Pergamenus* Ann. Sc. Nat. 1846. p. 177 e definit. (*L. Miquelii* l. c. 1844. p. 173 pileo carnosiori recedit.)

Ad truncos — Mea spec. lamellis siccitate fulventibus e loco Leveillei, Pulo Pinang.

Praeter colorem sequ. maxime affinis et *L. inocephalus* Lev. Voy. Bon. p. 171, ad hunc se habet ut *L. tener* ad *L. Sajor-Caju.* — *L. dactylophorus* Lev. Bon. p. 168 annulo (in Crinitis et Lepideis modo observatus) clare differt.

14. L. (Cornuc.) Sajor-Caju. Epicr. p. 393. Jungh. Jav. p. 83.

In insula Nikobar minori, copiose, *Didrichs. n. 11.*

Haec in Archipelago indico vulgata et cum P. xanthopode analoga species, a pluribus quidem recognita, sed plenior descriptio desideratur. Stipes lignosus, e basi orbiculari peltata adscendens, brevis, 3—5 lin. longus, 1—2 lin. crassus, aequalis l. deorsum attenuatus, laevis, glaber, pallescens, albus, in pileum diffusus. Pileus coriaceo-lentus, tenuis, convexus, profunde umbilicatus l. infundibuliformis, margine reflexo, in siccis infracto et in luxuriantibus fimbriato-lobato, 1—3 unc. latus, omnino laevis et glaber. Lamellae in conum obversum decurrentes, arcuatae, albidae, ligneo-pallescentes. Color pilei normaliter e gilvo pallescens, *immo albicans,* at variat fulvescens, cinerascens etc. ut species in hoc genere e colore pilei caute distingendae.

15. L. (Cornucop.) tener. Klotzsch. — Epicr. l. c. * *sciophyllus,* lamellis obconicis confertissimis integerrimis fuscis.

Hawaii in silva Crateri Kiladae proxima. *Didrichs. n. 55.*

Priori maxime affinis structura, magnitudine, forma; hic vero non expansus, sed obconicus et margo breve modo reflexus; pileus glaber quidem, at discus sub lente radiato-virgatus obscurior. Lamellae longe decurrentes, tenuissimae, confertissimae, omnes fere aequales, at saepe divisae, fuscae, acie quoque nigrescentes ut in *L. polychroo.* Lev.

16. L. (CORNUCOP.) MOLLICEPS, pileo membranaceo molli convexo umbilicato stipiteque lignoso gracili glabris pallidis, lamellis striato-decurrentibus integerrimis aequalibus mollibus albidis.

In insula Nikobar minori, cum penultimo. *Kamphövener* sub n. 11-13.

E priorum stirpe, *L. Scleropodem* aemulans; inter Leveilleanos et Berkeleyanos non reperi. Stipes solidus, durissimus, unciam circiter longus, lineam crassus, adscendens, glaber, apicem versus incrassatus et e lamellis lineato-decurrentibus striatus. Pileus tenuissimus aridus, sed mollis instar Marasmii et subfragilis, siccatus totus lentiformi-involutus, profunde umbilicatus, ½ unc. latus et infra, glaber, albidus. Lamellae priorum conspicue latiores, molles nec in conum obversum decurrentes.

* L. ALBIDUS Berk. Bras. n. 14 (cujus ex analogia adultior status *L. submembranaceus* l. c. n. 15) cum *L. leucochroo* vulgo comparatus, eisdem vero magis analogus, quam affinis videtur et e stirpe *L. Cochleati.*

17. L. (COCHLEATI) DETONSUS, pileo carnoso-coriaceo subexcentrico inaequali plano-depresso glabro alutaceo-fuscescente, margine repando involuto, *stipite inaequali pallido sursum fibroso strigoso, lamellis rotundato-sinuatis* confertis sublaceris albidis.

In truncis in Costa Rica. *Örsted.*

Hic typum ab omnibus a me visis diversum praebet. *Crinitis* quidem affinis, sed pileo prorsus glabro lamellisque haud decurrentibus, *at sinuatis* L. lepidei instar eximie distinctus. Stipes lignosus, sed rigido-fragilis, 1½ unc. longus, 2 lin. et ultra crassus, curvato-adscendens, inaequalis, saepe tortus, sursum fibrosus. Pileus subrotundus oblongusve, subexcentricus, planiusculus l. medio depressus (non umbilicatus), glaber, laeviusculus l. impolitus, 1½—2 unc. latus, margine repando-involutus. Lamellae in siccis a stipite fere divulsae, confertae, tenues, acie inaequali sublacera, albidae, in sicco pallescentes. — Proximus e descriptione *Lentin. gymnocephalus* Leveill. in Ann. Sc. Nat. 1844. p. 173, sed stipite et patria recedit.

18. L. (RESUPINATUS) PROBOSCIDEUS, pileo lento vertice proboscideo-porre-

cto stipitato lateraliter producto laevi glabro, lamellis e puncto excentrico radiantibus confertis inaequalibus lacero-dentatis albis.

Ad Costa Rica. *Örsted. n. 59.*

Species nobilissima, 3 unc. usque longa, sed haud compacta, cum nulla descripta comparanda. Sed nulla adest icon, specimen in spiritu vini ceterum optime conservatum totum atrum, e schedula inventoris lamellae albidae. Quoad structuram et lamellas ceterum cum *L. castoreo* convenit.

Panus. Epicr. p. 397.

Hoc genus a Lentinis luculenter differt contextu et substantia pilei haud lignescente, sed coriaceo-lenta molli persistente (*P. pycnoticus* suae indolis est), praecipue vero lamellis inaequalibus et integerrimis, siccitate modo crispis, omnino Agaricinis, in duas laminas scissilibus, *trama floccosa, in sporophora radiante* — numquam ut in Lentinis membranaceis (haud scissilibus) lacero-dentatis l. in *Scleromatibus aequalibus* integerrimis. Praesentibus speciminibus completis numquam de genere dubia restant; Pani reipsa Agaricis magis affines et sub Agaricis adhuc frequenter confunduntur. — At e descriptionibus datis genus aegre determinatur; Lentini quidam in Syn. Hymen. e descriptionibus Auctorum ad Lentinorum genus relati, re ipsa Pani species, nempe *L. eugrammus, ringens, tenuissimus.*

1. P. caespitosus. *Berk. Dec. n. 120* sub Lentino.

Ad truncos in Orizaba, regni Mexicani. *Liebman.*

Stipite rigente, floccoso-villoso et passim velato, pileo floccoso squamuloso etc. primo obtutu pro Lentino e tribu Lepideorum sumi potest; sed substantia, (in sicco uda!) lamellis (latis, inaequalibus, siccatis crispis) examinatis verum esse Panum, nisi Agaricum!, elucet. Stipites 00, in fasciculum densum juncti, cavi, varie torti, flexuosi, 2—3 unc. longi, 2 lin. crassi, aequales, striati, in siccis subsulcati, flocculoso-fibrillosi (indeque passim velati), in vivo pallidi, in siccis fuscescentes. Pileus carnoso-lentus, subcoriaceus, at non lignescens, exquisite orbicularis et planus, margine involuto, 1—2 unc. lato, demum umbilicatus, fulvorufescens, floccis sparsis obscurioribus secedentibus squamulosus. Lamellae adnatae, postice dente attenuato decurrentes, pro ratione latae, subconfertae, fulventes.

2. P. illudens, croceus, pileo carnoso lento applanato-umbonato inaequali virgato, stipite lignoso solido elongato deorsum attenuato, lamellis subdecurrentibus ramosis pallidioribus.

Ag. illudens. *Schw. Car. n. 604.*

Caespitosus ad basin truncorum Carolinae. *Curtis!*

E speciminibus a Rev. *Curtis* missis hunc fungum, diu ut dubium sepositum, recognovi, nam Schweinizii descriptio multum recedit. In speciminibus enim praesentibus lamellae neque tenerrimae, neque confertissimae, sed illius *Pani conchati* similes. Proximus est *Pano mauritiano*, qui idem videtur cum *Ag. mauritiano* Leveill. in Ann. Sc. Nat. 1844.

3. P. XYLOPODIUS. *Lentinus xylopodius.* Lev. Ann. Sc. Nat. 1846. II. p. 119 plene convenit.

In Ins. St. Crucis. *Benzon.*

Specimen praesens minus perfectum, sed lamellae Panum esse probant. Ad hoc genus porro referam:

* P. DICHOTOMUS = *A. dichotomus.* Lev. Ann. Sc. Nat 1844. II. p. 172.

* P. ANTHOCEPHALUS = *A. anthoc.* Lev. l. c. 1846. I. p. 115.

4. P. FOETENS. Epicr. p. 399.

In Mexico! E Carolina una cum *P. dorsali,* cui affinis, misit Curtis varietatem pileo omnino sessili. »Odor recentis fortis, alliaceus.« Habitus *Paxilli Panuoidis,* qui *A. croceolamellatus.* Leveill.

5. P. EUGRAMMUS. Mont. Cub. p. 414. t. 17. f. 2. sub Lentino.

In Domingo.

Pulchrum hunc fungum e diagnosi *A. eugrammi* Mont. missa sub Lentino recepi in Epicr.; at visis speciminibus Panum video.

XEROTUS. Epicr. p. 400.

1. X. AFER. Epicr. l. c. p. 401.

Ad ligna putrida in Guinea. *Afz. ic. 24.*

Stipes primo farctus, mox cavus aut potius fistulosus, brevis, 3 lin. crassus, aequalis, glaber, sub lente pulchre striato-rugosus, rigido-fragilis, niger, apice dilatatus in pileum subcentralem. Pileus orbicularis, fere membranaceus, sed aridus et rigidus, primo planoinfundibuliformis, dein planiusculus, centro depressus et laevigatus, ceterum undique sulcis secus lamellas repetito-dichotomis radiantibus exaratus, 3—4 unc. latus, exsiccatus spadiceo-pallens; margine recto patente acuto. Contextus tenuis, floccosus, dilute ferrugineus. Lamellae adnatae, e pilei forma plano-decurrentes, plicaeformes, sed latae (ultra lin.) distantes, strictae, regulariter et repetito-dichotomae, basi neutiquam anastomosantes, spadiceo-nigricantes, ad latera griseo-pruinosae. Descr. in Elencho data ad specimen compressum minus completa.

* X. PULCHER (*Canthar. pulcher* Lev. l. c. 1844. II. p. 179) priori affinis,

at lamellis angustis plicaeformibus pallidioribus et pileo minori conspicue differt.

2. X. PARTITUS. Berkel. in Lond. Bot. Journ. 1. t. 15.

In insula Nikobar minori. *Kamphöv.*

Hujus porro generis ob lamellas rigidas, dichotomas etc. fingimus *Panum areolatum* Berk. in Mag. of Nat. Hist. X. p. 370. t. 9. f. 3. Si vero nobis datum specimen verum? *X. nigrita* Lev. cum *Pano melanophyllo* Fung. Natal. collideret.

SCHIZOPHYLLUM. Epicr. p. 402.

1. S. FLABELLARE, l. c. p. 403.

Ad truncos arborum in Guinea. *Afz. ic. 25.*

Nobilissima generis species. Pileus rigidus, cartilagineo-coriaceus, utrinque applanatus, flabelliformis, 3—4 unc. longus latusque, superne vellere crasso dense tomentoso albo obductus, margine plus minus porrecto stipitatus; interdum adsunt stipites plures, pileus enim e pluribus lobis elongatis, sed valde angustatis compositus (quorum plures breviores a longioribus obtecti in pagina inferiori solvuntur); indeque in ambitu lobatus; margines vero singulorum integri (nec sequentis more partiti) et incurvi. Lamellae strictae, parallelae, simplices, inaequales, confertae, ligneo-pallidae l. griseae, glabrae, omnes acie longitudinaliter fissae, margine vero non revolutae sed vel erectae omnino vel patulae modo.

2. S. RADIATUM, pileo margine porrecto leproso-incrustato glabro in ramos flabelliformes multipartitos diviso albo, lamellis villosis griseis. A. radiatus. *Swartz. Prodr. p. 148.*

Ad truncos ad Mirador in regno Mexicano copiose. *Liebman.*

S. communi hactenus subsumtum, sed ingens speciminum copia differentiam probare videtur. Pileus reniformis, ipso margine linea recta in stipitem, lineam longum, porrectus, absque indumento tomentoso, cujus loco crusta rigida glabra, at impolita et inaequabili obductus, sed cum haec saepe, praecipue versus marginem, non cohaeret, pileus ad medium et ultra multifido-incisus ob lamellas radiato-ramosas discretas excurrentes.

3. S. COMMUNE. Epicr. l. c.

In Mexico ad Mirador etc. *(Liebman)* Costa Rica *(Örsted.)*, Tahiti *(Didrichsen)*, Pulo Milu *(Kamphövener)*.

Lenzites. Epicr. p 403.

* L. (Suberosae) applanata. Fr. Epicr. p. 404. *Daed. laevis.* Hook. in Kunth. Syn. p. 9.

In America calidiori passim.

Species quinque priores l. c. valde inter se affines et aegre discernendae. Statura admodum variat; pileus junior flocculoso-laevigatus, adultior politus, glabratus, lamellae strictae l. varie anastomosantes in eadem specie, ut rite sub *Daed. indica* notavit Junghuhn. Potius igitur quam novas admitterem, jam descriptas ad tres species reducerem. Sed praesentibus omnium speciminibus l. c. receptas plenius exponam, cum synonyma recentius varie commutata. *Lenz. applanata* mea primaria, ad specimina Humboldiana determinata, sine dubio *D. laevis.* Hook. Dignoscitur stipite valido, verticali (laterali, excentrico, centrali), pileo suberoso, at tenui, reniformi, laevi et azono, lamellis sequentium latioribus, tenuioribus acie acutis. — Hinc *L. repandae* proxima, ad quam referenda *Daed. applanata major* Klotzsch, Berkel. in Annal. of Natur. Hist. 1839. p. 381.

1. L. (Suberosae) deplanata. Fr. Epicr. p. 404. *Lenz. platypoda* Lev. Bon. p. 184.

In Guinea ad ligna adusta (*Afzelius*) rarior species.

Ut prior ad *L. repandam,* haec ad *L. Palisotii* accedit, at certe distincta, teste quoque Afzelio, qui utramque vivam comparavit. Pileus suberosus quidem, sed admodum tenuis, reniformis aut late cuneato-flabelliformis, 3 unc. circiter latus, postice linea recta in stipitem brevissimum exquisite lateralem (subhorizontalem), basi scutato-dilatatum, productus, applanatus, sed postice depressus, azonus, in superficie passim nodulosus, opacus. Margo acutissimus, antice vulgo deflexus, undulatus. Contextus reliquorum tenuis, floccosus; totus pileus cum lamellis vix ultra lineam crassus. Lamellae confertae, angustae, repetito-dichotomae, strictae, ad latera venosae, acie obtusa integerrima ligneo-pallidae, in vetustis fuscescentes, in basin decurrentes porosae. Color hujus speciei magis sordidus, in pileo ex albido isabellinus, lamellae obscuriores.

2. L. (Suberosae) polita. Epicr. l. c.

Ex Antillis.

Pileo sessili, vix stipitato, valde tenui flabelliformi laevigato azono, lamellis dichotomis strictis anastomosantibus, acie acutis integerrimis, haec sistit speciem tam a *L. applanata*, quam *L. repanda* clare diversam. Variat

vero, ut omnes affines, pilei margine integro et repando; et *L. tenuis* Leveill. Ann. Sc. Nat. 1846 sistit varietatem margine lobato, saepe prolifero.

3. L. (SUBEROSAE) PALISOTI. Fr. l. c. Pal. Fl. Ovar. t. 25.

Ad truncos in Guinea. *Afz. ic. 23.*

Proxima *L. deplanatae,* a qua differt: pileo rigidiori, glabrato, in basi dilatata subsessili, versus marginem concentrice sulcato, lamellis firmioribus siccitate ochraceis fere, nec fuscescentibns, ad latera non venosis, sed frequenter poroso-anastomosantibus aut potius acies lamellarum ipsa frequenter in poros seriatos dehiscit. Color non nitidus, sed magis lutescens. Ceterum ut affines variat convexa et depressa, integra vel repanda etc. Reliquae acie acuta clare diversae.

4. L. (SUBEROSAE) REPANDA. Fr. l. c. Mont. Cub. p. 384. *Daed. candida* Klotzsch in Herb. Hook. s. *D. applanata major.* Kl. in Linn. VIII, p. 481. *D. indica.* Jungh. Jav. p. 74.

Haec, quam e Java habeo, ad Lenzitem applanatam accedit, ut prior ad L. deplanatam. Dignoscitur pileo basi incrassato (basi $\frac{1}{2}$ unc. crasso) glabro albido; lamellis tenuibus, frequenter anastomosantibus, saepe labyrinthicis, acie acutis subdentatis.

5. L. (SUBEROSAE) BICOLOR, pileo suberoso-coriaceo rigido applanato glaberrimo dense concentrice zonato pallido, margine tenui undulato, lamellis tenuibus confertis acutis inaequalibus umbrino-fuscis.

In regno Mexicano. *Scheide.* Etiam e Carolina sub nomine *D. tricoloris* misit *Curtis.*

Pileus reniformis, sessilis, (umbone vulgo obsoleto, sed hic non praebet notam essentialem primae sectionis, sed pileus suberosus rigidus anodermeus), tenuis, rigidus, 2 unc. circiter latus, glaberrimus, dense concentrice zonatus, at sulcis profundis non exaratus, sub lente unicolor albidus, ut zonae e lucis tantum vibratione oriantur alternae, albidae et ligneo-pallidae. Contextus floccosus, albidus. Lamellae tenues, strictae, admodum confertae, breviores longioribus mixtae, postice dichotomae, basi venis connexae, at numquam anastomosantes, acie acuta integra, umbrinae l. nigrofuscae, ad latera pallidiores.

L. furcata et *interrupta* ab hac distinctissimae sunt. — Proxima forsan *L. Crataegi* Berk. et *L. discolor* (Daed. discolor *Klotzsch*! non Schwein.) Cfr. Ep. p. 494); haec vero minor, haud nitida et regulariter zonata, lamellae distantes simplices.

6. L. PALLIDA. Berk. in Lond. Bot Journ. 1. p. 146?

In regno Mexicano, cum praecedente, sed specim. ambiguum.

7. L. (SUBEROSAE) UMBRINA. Epicr. p. 405. *V. glabrata,* peltato-adnata, suberoso-coriacea, glaberrima, circa margines concentrice sulcata pallide umbrina, contextu floccoso pallidiori, lamellis strictis latis simplicibus fusco-umbrinis, alternis dimidiatis.

In Mexico ad truncos.

More stirpis basi angustata peltato-adnata, at vix stipitata, lamellae enim usque ad basin linea recta porrectam decurrentes. Pileus reliquarum Suberosarum mollior, 2—3 unc. latus, superficie glabra, sed opaca, inaequatilis, margine acuto. Lamellae Coriacearum magis similes, latae, subsimplices, immixtis multis dimidiatis, acutae, ad latera pallidiores. A forma in Epicrisi descripta multum differre videtur, at non dubito ejusdem formam sistere adultiorem indeque glabratam. — *L. mexicana* Mont. Cent. IV. n. 78 concolor quidem, at pluribus notis: stipite verticali, pileo integro umbilicato striguloso-zonato, lamellis anastomosantibus dentato-laceris abunde diversa.

8. L. (CORIACEAE) ASPERA. Epicr. p. 480. Daedalea aspera. *Klotzsch. Berk. in Ann. Nat. Hist 1859. p. 581.*

In insulis Nikobariensibus. Spec. a tineis misere infestata.

Pileo spongioso-suberoso, nunc sessili, nunc in basin peltatam producto, ab omnibus valde differt et peculiarem stirpem praebet. Est porro ita protea, ut plures colligere species facile fingas (*Lenz. platyphylla* Leveill. l. c. p. 179 nulla nota recedit), sed substantia, pileo obsolete zonato, lamellisque latissimis semper facile dignoscitur. Alia forma magis *D. betulinam,* alia *D. quercinam* refert. Illa tenuior, tota alba, lamellis simplicibus dichotomisque, immixtis brevioribus; haec major, alutaceo-pallescens, distincte concentrice sulcata magisque floccoso-scabrida foveolataque, lamellis in sinus elongatos poriformesque anastomosantibus.

9. L. (CORIACEAE) GUINEENSIS, pileo sessili coriaceo plano semicirculari concentrice sulcato tomentoso (fulvo) olivaceo-fuscescente, lamellis rectis simplicibus, alternis dimidiatis, acie acutis cinereofuscis. Daedalea. *Afz. fung. Guin. f. 26.* Cfr. *Epicr. p. 408* sub D. betulina.

Ad truncos vetustos Guineae. *Afzelius.*

Statura et contextu *L. betulinam* refert, at facile distincta pileo tenuiori ($1\frac{1}{2}$ unc. lato) et applanato, lamellis omnibus simplicibus dimidiatisque omniumque partium colore. Lamellae ad latera pallidiores. E schedulis inventoris pilei tomentum in vivo fulvescit. Non igitur dubitamus esse *L. Jung-*

huhnii Lev. l. c. p. 180, quam Cel. Junghuhn ipse pro *L. betulina guineensi* habuit, quae lamellis acie subvelutinis modo recedit.

10. L. (Coriac.) Berkeleyi. Lev. l. c. 1846. p. 122.

Ad truncos Indiae occidentalis. *Benzon.*

Alia a *L. betulina* (L. betulina v. velutina. *Berk. in Ann. of Nat. Hist. 1843. p. 181*) remota species, sed zonis admodum angustis, confertis et elevatis facile distincta. Adhuc nobilior, *L. verrucosae* Kickx accedens species, a *L. betulina* segregata, est Suecica *L. cinnamomea* Fr. Ic. in Mus. Holm. Vera *L. betulina* autem, ut etiam *L. versicolor,* etiam in terris calidis occurrunt.

11. L. (Coriac.) striata. Epicr. p. 406. *Berk. l. c. 1843. I. p. 371.*

In truncis Indiae occid. c. priori.

Species minor inter D. bicolorem et D. sepiariam quoddammodo media. Pileus quam prioris longe minor et mollior, sulcis concentricis profundis exaratis, lateraliter adnatus, sed etiam reniformi-dilatatus, fibris adpressis versus marginem radiantibus rugoso-striatus, unde nomen. Lamellae tenues, etiam proprie ferrugineae, sed e pruina glaucescentes. Contextus floccosus, ferrugineus.

12. L. (Coriac.) protracta, effuso-reflexa, seriato-protracta, pileo coriaceo-molli angusto cano-villoso fusco-zonato, lamellis latis simplicibus nudis umbrinis, alternis dimidiatis.

In lignis putridis in Mexico. *Högberg.*

Minima generis species, forma et fere coloribus *L. abietinae* (aut potius *Polyp. venusti* Berk.), in series lineares elongatas protracta, sed vix $\frac{1}{2}$ unc. lata. Tam hac forma, quam substantia molliori, sicca subfragili, a *L. umbrina* et *L. acuta.* Berk. distincta.

Boletus. (L. pr. p.) *Epicr. p. 408.*

Hymenophorum est ea pars pilei, cui hymenium impositum, quae saepe discolor, scrobiculata, sulcata (v. c. in Paxillis). Non igitur est *pilei* synonymon, ut varii fingunt, sed a pileo diversum ut ab involucro receptacula inter Synanthereas. In *Boletis* et *Polyporis* sensu strictiori stratum porosum, margine saepe prominulo limitatum, oritur a tubulis stipatis et prorsus heterogeneis, quamvis in Polyporis inter se et cum matrice arcte connatis *). Horum pori insuper praeformati, licet primitus minimi et

*) In variis Polyporis genuinis, tam carnosis l. spongiosis, quam Fomitibus stratum porosum in tubulos solvere contigit; in aliis Polyporis stratum porosum *linea obscuriori* (v. c. in P. saligno!) ab hymenophoro limitatum.

clausi s. obturati, sensim aperti et dilatati v. c. in *P. squamoso* aliisque platyporis, cum Favolis non confundendis. In his absolute deest *trama*, et linea discolor inter poros passim observanda non sistit tramam, sed *tubulorum parietes*! Plurima hujus facile praebeam exempla, v. c. in *P. coccineo*, in quo contextus pilei floccosus pallidus, linea vero inter poros, pro trama primo obtutu facile sumenda, saturate rubra. Hinc in multis non modo carnosis v. c. *P. hispido*, *P. citrino* etc., sed etiam suberosis (*P. betulino*) et lignescentibus pororum stratum ab hymenophoro integrum separari potest; in *Fomitibus* pariter strata sibi invicem superimposita; quod fieri non posset, si pori ex punctis in hymenophoro successive evolutis ejusque trama modo distincti essent. His rite perspectis clara fit typica differentia Polystictorum, Trametum etc., licet de singulis individuis dubius sis; hae vero difficultates tolluntur si ad pororum genesin attendimus.

1. B. ROBUSTUS, pileo pulvinato sicco glabro sordide alutaceo, stipite solido crasso subbulboso laevi albido, poris elongatis liberis rotundis.

Ad terram in Vulcano Irasi in Costa Rica, Februario. *Örst. ic.* 55.

Specimina in spiritu vini ab icone maxime differunt. Ad illa descriptionem confeci, sed ob colorem totum atrum hunc ex icone indicavi. Species major, valde robusta, bene respondens iconi *Clus. pernic. gen. XIX spec.* 7. Stipes obclavatus, subbulbosus, 3 unc. longus, ultra unciam crassus, fere *B. luridi* (est vero ex edulium stirpe), unicolor, haud manifeste reticulatus, albidus. Pileus admodum carnosus, regularis, 3 unc. latus, margine haud infractus. Pori convexi, regulares, a stipite omnino discreti, luteoli, sed nigricantes? Proximus *B. impolito* (qui *B. suspectus*. Krombh. t. 74. f. 8—11)

Reliqui quoque novi *Boleti*, in decima post obitum Auctoris edito fasciculo Operis Krombholziani spectant ad species jam cognitas: *Boletus sericeus* t. 76. f. 6—9 = B. appendiculatus. *Schaeff. B. xanthoporus* t. 75. f. 15—19 = B. fragrans *Vittad. B. inunctus* = B. collinitus. — *B. leoninus* = B. obsonium *Paul. B. strobiloides* t. 14. f. 12, 13 = B. strobiliformis *Scop.* — Si divo Auctori concessum fuisset ultimorum fasciculorum textum redigere, tam inconditus haud prodiisset! — *Bol. lacteus* Leveill. in Ann. Sc. Nat. 1848. I. p. 124. t. 9. f. 1. omnino B. cyanescens adultior!

POLYPORUS. Epicr. p. 427, incluso Polysticto.

Hymenium determinatum, praeformatum, heterogeneum, tubuloso-porosum, formatum a tubulis primitus clausis, dein apertis dilatatisque, inter se et cum hymenophoro heterogeneo arcte connatis, absque trama ab hymenophoro formato. Contextus uniformis. Sporophora tetra-

spora. *Fungi e carnoso indurati l. lignosi, vegetatione centrifuga, quare pileus non zonatus, tantum in induratis, accremento interrupto, concentrice sulcatus* *).

De nexu hujus generis cum Boletis supra disserui; *Polysticti* et seqq. genera pororum morphosi plane differunt. In permultis Polyporis pori primitus omnino obturati, ut pagina inferior laevis et contigua appareat, dissecta vero intus monstrat tubulos elongatos eorumque stratum primitus determinatum nec e centro successive evolutum, quibus rationibus a Polystictis maxime recedunt. Abeunt vero Polypori in duas series l. subgenera; multis formis mediis juncta:

A. Eupolyporus. Pileus carnoso-lentus, dein induratus (raro e caseoso-floccoso fragilis), extus absque sulcis et zonis, sed contextus radians fibrosus (intus) saepe zonatus. Pori numquam stratosi. *Fungi annui, haud reviviscentes, in regionibus minus calidis praepollentes.*

B. Fomes. Pileus primitus lignoso-induratus (raro molles, plorantes), contextu floccoso intertexto, crusta rigida obductus, azonus, sed demum concentrice sulcatus. *Fungi perennes, (vulgo stratose) reviviscentes, sed stratum annuum vegetum tantum est.*

Quam maximum tulit hoc genus per ultima lustra augmentum, at tantum specierum numero aucto. Neglecto vero saepe critico studio et definito affinitatis indicio his ipsis copiis ita intricatum factum est, ut nemo inter has dispersas symbolas sine ectyporum comparatione expedire se valeat; funestissimus sane scientiae status, praecipue inter fungos, inter quos collectiones per longum tempus aegre servantur. Magis necesse est, ut jam descriptae critice comparentur et in definitas greges (altius petitas quam e pileo centrali, laterali, sessili), integrentur, quam ut novae proponantur. Forma et colores ad fidam determinationem parum juvant. Omnes formae deformes et atypicae ut singulares lusus omittendae; habeo varias maxime recedentes, quas ignoto statu typico ineptum censeam describere. Color maxime et variabilis et ex aetate mutabilis; multi, qui ad specimina sicca et exoleta, frequentius obvia, *atri* describuntur, vivi in statu vegeto *albi* sunt v. c. *P. obliquus, Daedalea mollis* (= Polyporus cervinus. Pers.!) Quam plurima vero synonyma, quae ex intensissimo litterarum tantum studio ad typos suos reduxi, hoc loco citare non ausus sum.

---

*) *Sulcos* dico lineas depressas concentricas, omnino ceterum homogeneas, e incremento abrupto ortas. Polypori perennes sitanei omnino laeves sunt, et annosi tantum concentrice sulcati. *Zonas* dico juga elevata, heterogenea, vulgo discoloria et peculiari indumento obducta. *Zonae* jam in primario statu Polystictorum definitae. Sulci interdum e lucis vibratione zonas referunt, sed lente lustrati color uniformis patet.

Stipes A. Polypori ovini.

Mesopodes, carnosi, terrestres. Spec. 1—10 in *Syn. Hymen.* Ex hac stirpe nulli allati sunt e regionibus calidis; duas vero e Sikkim Himalayae dedit Berkeley, *P. Campbelli* Berk., qui insignis nova species, et *P. fuliginei* var. majorem. Duas hoc loco inseram e Carolina a Rev. Curtis missas.

1. P. (Ovini) spectabilis, fulvo-cinnamomeus, pileo carnoso fragili umbilicato tomentoso-velutino, contextu floccoso concolori, stipite curto, poris stipatis minutis fuscobrunneis.

Habitat ad terram in Carolina australi. *Curtis.*

Substantia spongioso-carnosa l. potius caseosa, sicca mollis fragilis, non lignescens (pileus siccitate valde incurvatur), contextu floccoso cinnamomeo. Stipes curtus, obesus, unciam crassus at vix longus, pileo concolor. Pileus vere carnosus, haud admodum crassus, explanatus, profunde umbilicatus, orbicularis, 4 unc. circiter latus et ultra, azonus nec concentrice sulcatus, sed versus marginem quasi undulatus undique tomento denso persistente subvelutino vestitus. Pori decurrentes, minuti, stipati, lineam l. parum ultra longi, absque tramae vestigio, acuti, fusco-brunnei. Species nobilissima, nulli nisi forsan *P. cinnamomeo* Jacq. (poris amplis tamen mox distincto) affinis; novae stirpis prodromus. Habitus quidem *P. circinati,* Fung. Natal., sed substantia diversissima. *P. Schweinizii,* sub quo nomine accepi, quam maxime recedit et substantia compacta, primitus quidem unctuoso-spongiosa, sed adulta suberosa fibrosa, poris amplis trama crassa ferruginea distinctis et genesi diversissima, *quare genere moveantur.*

2. P. (Ovini) poripes, pileo carnoso lento sinuato-repando glabro cinereo-fusco, stipite firmulo glabro e poris decurrentibus punctato porisque mediis curtis acutis albidis.

Ad terram in montosis Carolinae. *Curtis* n. 552.

Stipes centralis l. excentricus, firmulus, subaequalis, 1—$1\frac{1}{2}$ unc. longus, 3 lin. crassus, glaber, e poris decurrentibus punctatus, albido-griseus. Pileus carnosus, siccus lentus, tenuis, planiusculus, inaequalis, sinuato-repandus, laevis, glaber, azonus, cinereo-fuscus, $1\frac{1}{2}$—3 unc. latus. Pori mediocres, admodum curti, subrotundi l. angulati, albidi, ore acuto nec lacerato. Medium tenet locum inter *P. politum* et *P. fuligineum,* cujus coloribus tinctus, at stipite poroso ab utroque recedit.

Stirps B. Polypori lenti.

Mesopodes, e carnoso lenti indurati epixyli, *stipitis basi concolori, nec*

nigra! Typus gregis, inter platyporos et microporos exacte medius, est *P. brumalis*, sed nomen sumsi a *P. lento*, cum hoc in omnes quadrat. Spec. 11—20 in Syn. Hymen.

3. P. (Lenti) arcularius. Epicr. p. 430. Berk. Cent. *II. p. 18. Pol. umbilicatus.* Jungh. Jav. p. 72. f. 37. *P. Agariceus.* Berk.! Mus. Brit. in Ann. Mag. Nat. Hist. X. p. 371. *Favolus Agaric.* Leveill. Ann. Sc. Nat. 1844. II. p. 201. Mont. ibid. 1847. I. p. 172. *F. ciliaris* Mont. Cent. IV. n. 82. var. minor.

Ex variis Americae borealis plagis, etiam ex India Orientali, Capite B. S., facile ubique in terris calidioribus.

Ut omnes vicini admodum proteus et indumento pilei secedente etiam glabratus. Pori variant rhombei! et magis elongati hexagoni: illam formam omnes veteres indicarunt et ipse vidi! — nec tantum ab aliis, ut saepe injuste fingitur, exscripsi, licet ingenue fatear mihi ex uno alterove specimine sicco ab antecessoribus et Autoptis discedere vix aptum saepe mihi visum esse. Quoad genus jam pilei structura et substantia indurata a Favolis recedit, et clare pororum genesi et sporidiis: mediante vero *P. brumali* cum reliquis suae stirpis manifeste jungitur. In *P. lento* Berk.! in Engl. Fl. p. 134, habitu facile, at charactere essentiali aegre distinguendo, vidimus poros primitus clausos, mox apertos rotundos, dein tetragonos, tandemque hexagonos. In omnibus Favolis genuinis alveoli primitus reticulati, sed aeque ampli ac in adultis.

* P. lepideus Epicr. p. 430 ab omnibus h. l. recensitis valde diversus et *P. squamoso* vicinior, cum *P. maculato* Berk.! ined. (minori, pileo excentrico obliquo), potissimum comparandus. Nisi hujus stipes basi niger utrumque ex eadem specie enatum fingerem.

4. P. (Lenti) alveolarius. Epicr. p. 431.

Ad truncos San Joce, Costa Rica. *Örsted.*

Priori cognatus, at certe diversus *pileo primitus glabro.* Stipes gracilis, 2—3 unc. longus, lineam l. paulo ultra crassus, *basi subtuberosa* ligno putrido adnatus, saepe adscendens l. flexuosus, glaber, fuscescens, in sicco longitudinaliter striatus. *Pileus* tenuis, *infundibuliformis* l. profunde umbilicatus, limbo patente, 1—2 unc. latus, azonus, laevis, glaber, brunneus, intus albus. Pori decurrentes, majusculi, oblongi, hexagoni, in sicco griseo-fuscescentes. Post Boscium hactenus a nemine collectus videtur, quare descripsi.

5. P. (Lenti) favularis, luteus, pileo e carnoso lento regulari convexo plano glabro, stipite adscendente aequali villoso, poris majusculis subrotundo-angulatis radiantibus tenellis.

Fav. nummularius. *Berk. Mag. Nat. Hist. IX. t. 15.* videtur junior status.

Ad ligna putrida in ins. Sambelang. *Krüger.*

Species inter priorem et *P. leptocephalum* exacte media; ad hunc se habet ut *P. brumalis* ad P. ciliatum. Specimen unicum, quod vidi, vetustum videtur indeque pendere differentias a descr. Berkeleyi, nempe pileo indurato obtuso sordide luteo, poris oblongis subangulatis, omnibus tenellis, absque dissepimentis crassis, ut in icone citata apparent.

* P. (Lenti) flexipes. Epicr. 432.

Pileus videtur primitus ciliatus, nam hac nota tantum differt simillimus *P. apalus* Berkel.! in Lond. Bot. Journ. II. p. 631. Tamquam *varietatem* ad eundem jam pridem retuli *P. gracilem* Klotzsch! (Cfr. Berk. in Mag. Nat. Hist. 1839. p. 384) indeque a Klotzschzio in Linnaea omissum. An hae tres species differant in omnium communi patria, Brasilia, ulterius est explorandum. — Ex eorum foedere et patria quoque est *P. similis* Berk.! l. c. n. 18, hic vero habitu, stipite firmiori brevi et primitus velutino (adultus vero etiam hic totus glabrescit) evidentius discrepat.

C. E Stirpe Spongiosa,

nulla genuina species adest in collectionibus nunc recensendis, nisi huc duceres *P. spectabilem* n. 1, qui vero contextu floccoso-molli fragili Caseosis potius respondet. Plurimae quoque species *Epicriseos* ob hymenii morphosin diversissimam genere movendae sunt, nec genuinam hujus stirpis speciem sistit *P. tabulaeformis* Berk. Cent. 1. n. 78; ex ipso *P. Schweinizii?*

Stirps D. Polypori melanopodis.

Meso-aut saepius pleuropodes, stipite toto aut basi nigricante, pileo e carnoso lento induratoque. *Spec. 41—50.* Epicr. S. M. — Facile in duas stirpes dispescitur, *alteram* pileo magis lento, poris demum majoribus angulatis s. *platyporos (P. squamosus, Boucheanus* cfr. Favol., *Michelii, Philipinensis* Berk.! in Lond., Journ. 1. p. 148, *P. maculatus* Berk.! ined.); *alteram,* pileo lignoso-rigente, poris mediis *(P. radicatus* Schwein.! P. rubricus *Berk.! ined.)* l. minutis *(P. Trogii* Fr. ined. s. rugosus *Trog., P. melanopus, dictyopus, picipes, infernalis* B., *varius, elegans, fissilis* B. At in vicinis familiis limites inter platyporos et microporos evanescunt. *(P. Blanchetianus* Mont. Cent. VI. n. 64 mihi ignotus, at videtur e stirpe P. rugosi.

6. P. (Melan.) melanopus. Epicr. p. 439.

In regno Mexicano.

Species late dispersa et mire varia, mesopus et pleuropus, infundibuliformis et planus, integer l. lobatus, rugosus, impolitus etc., sed dignoscitur stipite verticali, pileo tenui demum rigido fuligineo, stipite incrustato atro opaco.

* P. infernalis. Berk.! Fung. Brasil. l. c. n. 20.

Specimina nostra e Guiana e descr. bene congrua pro *P. nephelode* Lev. l. c. 1846. I. p. 125 habui: in Mycoph. Berkeleyi certius inveni nomen. Stipes abbreviatus, poroso-punctatus, totus ater. Pileus spathulato-flabelliformis, planus, tenuis, dimidiatus, sed postice marginatus, laevis, glaberrimus, margine tenui sterili acuto. Pori minuti, brevissimi, obtusi, e pallido fulventes.

7. P. (Melan.) picipes. Epicr. 440.

In India orientali et aliis regionibus passim.

Praecedente robustior, saepe curtus, pileo saepius integro, subtiliter radiato-striato, poris vicinorum tenuioribus.

8. P. (Melan.) fissus. Berk.! Cent. 123.

Ad ligna putrida Costa Rica inter n. 11.

Valde affinis *P. vario,* at statura minuta, pilei virgati tenuitate porisque minimis dignoscenda; forma varia, interdum major, subrotunda, ut cum *P. Gayano* Lev. l. c. comparetur.

Stirps E. P. petaloidis.

Pileus e carnoso lentus, exacte lateralis (postice non marginatus); stipite toto pallido, vulgo brevissimo (tantum in *P. dilatato* Berk.! Cent. II. p. 444 ad 2 unc. elongato), basi scutata lignis putridis adnato, in linea recta cum *pileo,* priorum more, *vulgo striato-virgato,* ut in omnibus vicinis azono. Typus est europaeus *P. petaloides* (cui nimis fere affinis *P. anisoporus* Mont. Cent. V. n. 86); priorum instar abit in duas series, alteram poris majoribus (*P. putidus, trigonus* Lev.); alteram poris minutis (*P. udus.* Jungh. in Hoev. an Vries. Tidskr. VII. p. 285, *P. vibecinus* Fr. Natal., *P. miniatus* et *obovatus* Jungh. Jav. p. 65, 68, *P. liturarius* Curt. in Sill. Journ. 1850. p. 94. et sqq. P. tephromelas. *Mont. Cent. II. p. 12.* incertae affinitatis.

9. P. (Petaloidei) putidus, pileo carnoso lento reniformi glabro azono fuscescente in stipitem brevissimum *supra depresso-canaliculatum* attenua-

to, poris majusculis curtis angulatis tenellis fuscis ad basin usque decurrentibus.

Ad truncos prope S. Joce in Costa Rica. *Örsted.*

Ob substantiam in vegeto carnosam sub exsiccatione admodum mutatur, odore putido. Forma potissimum *P. flabelliformis,* hic vero e coriacea et zonata serie. Stipes brevissimus, constanter marginalis, horizontalis, ad typum *Ag. petaloidis* supra canaliculatus, basi pallidus, subdilatatus. Pileus 2—3 unc. latus, a flabelliformi in reniformem figuram abit, non virgatus. Pori et reliqua ut supra. Ab omnibus suae stirpis recedit poris majusculis angulatis et substantia molliori, siccata haud rigente.

10. P. (Petal.) grammocephalus. Berk. in Lond. Journ. I. p. 147.

In insulis Archipelagi indici et in Philipinis. *Cuming.*

Proximus *P. ribecino,* poris conspicue diverso, et *P. petaloidi.* Stipes definite lateralis, basi praemorsa at vix scutata, 2 lin. circiter longus, linea recta porrectus in pileum primo cuneato-obovatum, dein magis reniformem, utrinque applanatum, $1\frac{1}{2}$—3 unc. latum, lineam crassum, lineis strictis elevatis paulo obscurioribus pulchre radiato-virgatus. Margo acutissimus, patens, subinde nigrescens. Contextus tenuis, e carnoso lento-fragilis, dilutior. Pori curti, carne pilei breviores, minuti, stipati, absque trama, at nudo oculo facile discernendi, ore acuto, umbrini. Specimina nostra cum *Cuming.! exsicc. n. 1991.* optime conveniunt. Alia ab Auctore ipso missa conspicue recedunt pileo rigido testaceo-rufescente, margine undulato-crispo, poris pallidioribus.

11. P. (Petal.) peltatus, pileo e carnoso rigido glabro e basi spadicea radiato-rugoso testaceo, postice porrecto in stipitem lateralem *subtus canaliculatum* basique orbiculari peltatum, poris minutis rotundis obtusis pallidis.

Promiscue cum *P. fisso* (n. 8) ad S. Joce, Costa Rica. *Örsted.*

Habitus *P. varii* aut potius *fissi,* at notis evidentibus diversus. Stipes exacte lateralis, 2 lin. fere longus, compressus, utrinque a pileo decurrente marginatus, marginibus deflexis, unde subtus canaliculatus evadit, nullo modo nigrescens. Pileus subrotundus l. oblongus, 2 unc. circiter latus, tenuis instar P. fissi, siccus durus sed valde contractus et involutus, ut recens sine dubio mollis, non fibrillosus, ut *P. ribecinus, grammocephalus* etc. Hymenium in pagina inferiori stipitis marginati usque ad basin decurrens, pallidum, primitus aporum, papillosum; dein vero pori aperti. Contextus albus.

* P. (Petal.) annularis. P. annulatus Jungh. Jav. p. 53. f. 28.

Nomen incongruum et fallax leviter mutandum.

12. P. (Petal.) dendriticus, caespitoso-imbricatus, lacteus, pileo carnoso-lento spathulato fibrilloso-virgato basi stipitiformi-porrecto, contextu fibrilloso, poris minutis subrotundis acutis.

Ad truncos in regno Mexicano. *Liebman* (Eandem speciem, minus evolutam, ad caudices Taxodii e Carolina sub n. 1481 misit *Curtis.)*

A reliquis differt vegetatione caespitosa, pileis imbricatis concrescentibusque, at singuli parum ultra ½ unc. longi latique, horizontales, spathulati, postice stipitiformi-porrecti, a basi ad marginem fibrillis radiantibus adpressis dense striato-virgati, albidi l. pallescentes, margine perpendiculariter deflexo, interdum fusco-variegato. Contextus carnoso-lentus, fibrillosus, albus Pori sat profundi, vix lacero-dentati.

Stirps F. P. frondosi. Epicr. 71—76.

Hi, ut analogi P. ovini, ut maxime carnosi desunt in regionibus calidioribus.

Stirps G. P. lobati. Epicr. n. 77—82.

13. P. (Lobati) secernibilis. Berk.! Cent. 171.

Ad ligna putrida in Guinea. *Afzelius.*

Hic et *P. armoracius* Berk.! Ined. hujus stirpis esse concludo ex hujus manifesta analogia cum *P. candido,* non nisi tomento albo diverso. Specimen Afzelii caespitosum, undique expansum, ceterum ambiguum est olimque sepositum, sed cum Berkeleyano proxime congruit.

Stirps H. Polypori imbricati. Epicr. 83—88.

Tam in frigidis, quam calidis terris; at in his collect. desunt.

Stirps I. Polypori mollis. Epicr. 95—106.

H. l. *P. hispidans* Berk.!, simillimus *P. epileuco,* sed structura fibrosa diversus, *P. microscopicus* Jungh. Jav. p. 52.

14. P. (Mollis) Trichocoma, pileo carnoso-lento resupinato cupulari-integro, extus albo laevigato, disco convexo e poris elongatis subtilissimis, in fibrillas solvendis, stipato.

Ad ligna putrida. Tahiti. *Didrichs. n. 7.*

Unicum modo adest specimen, quare silentio praetermitterem, nisi facies et characteres maxime peculiares, ut exoletum pro Trichocomatis specie depressa facile sumeretur. Pileus orbicularis, integer, dorso adnatus et omnino sessilis, adpressus, sed in ambitu liber, ½—¾ unc. latus, laevigatus (haud conspicue villosus, licet anodermeus sit) haud marginatus. Pagina

fertilis enim convexa est, extus haud porosa, sed ex aculeis capillaceis l. fibris stipatissimis quasi formata et in fibrillas facile solvitur; integer transversim vero sectus, intus monstrant strias longitudinales obscuriores, ut in variis Polyporis tenuissimis videre licet.

Stirps L. POLYPORI DICHROI. Epicr. n. 107—120.

Terris calidis et frigidis communes. Abeunt facile in duas sectiones, alteram *contextu colorato*, alteram *albo*.

15. P. (DICHROI) ENDOZONUS, pileo e carnoso lignoso pulvinato villoso-scruposo umbrino, intus eximie fibroso-radiante zonatoque alutaceo-fuscescente, poris minutis curtis rotundis obtusis nigricante-umbrinis.

Ad truncos insulae S. Jan Indiae occidentalis. *Örsted.*

Secundum specimina praesentia ad minores pertinet species, at distinctissima et exsiccata valde indurata, intus vero eximie et grosse fibrosa, colore admodum peculiari. Pileus fere crassior, quam latus, 1—2 unc., subdifformis, azonus. Pori minimi, brevissimi, stipatissimi, $\frac{1}{2}$ lin. profundi, aequales, opaci.

16. P. (DICHROI) SCRUPOSUS. Epicr. p. 473. P. crocatus *Klotzsch.! pr. p. Berk.! in Ann. Nat. Hist. III. p. 389.*

In America boreali videtur frequens.

E pororum structura et affinitate cum *P. gilvo* (P. calvescente *Berk. l. c.*) ad Subcarnosos refero, licet pileus in spec. siccis induratis stuppeo-suberosus appareat. A *P. gilvo* et *pruinato* differt pileo convexo, scruposo, exasperato, fere fibroso, sed fibrae adnatae, ex umbrino canescente. Cum Polystictis confundi nequeunt ob poros stipatos, absque trama. *P. gilvum* et *scruposum* (quem ad spec. Klotzschii sub *P. gilvi* nomine una cum genuino descripsi) sine dubio confudit d. Schweiniz; genuinum et primarium in Syn. Car. descriptum ad ipsius spec. in Elencho proposui, serius dein in boreales provincias translatus sub hoc nomine distribuit *P. scruposum.*

17. P. (DICHROI) DIALEPTUS. Epicr. p. 456.

Ad truncos in Guinea. *Afzelius* Ic. 16.

Species nobilissima, pilei tenui et molli persistente, vix cum alia comparanda, nisi *P. secernibili.* Substantia tenuis, e carnoso coriacea, fibroso-floccosa, helvolo-pallida. Pileus effusoreflexus, aut potius basi sterili stipitiformi-decurrens, conchiformis, 2 unc. latus, molliter tomentosus e pilis erectis brevibus densissimis, longioribus brevioribusque mixtis, helvolo-fuscescentibus. Subtus planus est, luteolo-pallidus in spec. sicc. (e sche-

dula inventoris pallide brunneus), marginem versus sterilis dilutior, poris curtis tenuibus rotundis l. parum angulatis.

18. P. (Dichroi) diffusus, pileo e carnoso lignescente effuso reflexo varie concrescente villoso laevigato albo, intus fibroso concolori, poris minimis stipatissimis extus intusque fulvo-cinnamomeis, ore nudo.

Ad truncos insulae Oahu. *Didr. n. 29.*

Est omnino e stirpe *P. adusti*, at minus peritus examinator ob substantiam exsiccati lignoso-induratam ad Lignosos potius referret. Contextus autem fibrosus et pileus siccitate valde incurvato-contractus in vivo fuisse carnosum facile docent. Pori quoque eximie Eupolypori, stipatissimi, absque tramae vestigio, cum fibris pilei contigui nec separabiles. Pilei imbricati et lateraliter varie concrescentes, supra plani, azoni sed versus marginem saepe sulcis concentricis obsoletis notati, subtus declives, hinc forma triquetra et basis effusa. Pori nudo oculi vix conspicui, lineam longi, rotundi, subaequales, in vivo forte fulvi, sicci dilute cinnamomei.

19. P. (Dichroi) adustus. Epicr. p. 456. *P. subcinereus* Berk. in Ann. Nat. Hist. III. p. 391 ex ipso.

Ad truncos in frigidioribus regionibus regni Mexicani- et ins. Sandwichensibus.

P. demissus Berk.! Cent I. n. 37, huic et *dichroo* maxime affinis, pileo conchato (subtus concavo), albidiori »postice fulvo« dignoscitur.

20. P. (Dichroi) dichrous. Epicr. p. 457. *P. nigropurpurascens* Schwein.! Syn. Am. p. 156, non Syn. Car.!, qui varietas P. isabellini.

In America boreali frequens.

A nostro, colore pororum plus minus obscurato vario, haud separandus; et *P. isabellinus* ita affinis, ut P. carpineus P. adusto, ut etiam hunc lubentius subjungerem.

Stirps M. Polypori hispidi. Epicr. 121—124, 127—132.

Accessere ad hanc stirpem plures nobilissimae species: *P. corruscans* Fr. Vet. Ac. Förh. 1851, *P. fusco-albus* (= P. spumeus *Schw.*), *P. endocrocinus* Berkel.! Cent. II. n. 127, *P. galactinus* Berk.! n. 128, *P. fissilis* Berk.! l. c. 221.

21. P. (Hispidi) hypococcinus. Berk.! Cent. II. n. 125. *P. haematodes.* Fries in litt.

Sub nomine *P. Pilotae* Schwein. nobilissimum fungum recepi; an *Syn. Am. p. 156!*

22. P. (Hispidi) Junghuhnii, pileo spongioso-carnoso pulvinato inaequabili hispido sublateritio, sicco suberoso molli, margine, contextu porisque rotundis minimis secedentibus albis.

P. fusco-albus. *Jungh. Jav. p. 52* (non Fr.) nomen incongruum.
Ad truncos Javae.

Descriptio Junghuhnii, ut omnes ab eodem datae, clara. Fibrae tenuiores, quam reliquorum, indeque exsiccatus fragilis. Hae fibrae in hac stirpe cum poris, ceterum heterogeneis, continuae sunt, quare tubulosi absque tramae vestigio, adulti vero in plerisque secedentes, in hoc non lacerati ut in *P. labyrinthico* Fr. El. p. 83 s. *Sistotremate spongioso* Schwein.

23. P. (Hispidi) Symphyton. El. p. 132. *Sistotrema.* Schwein.! Car. n. 954.
In regno Mexicano. *Högberg.*

Stirps N. Suberosi. Epicr. 133—143.

* P. (Suber.) Berkeleyi, latissimus, pileo suberoso tenui utrinque applanato longitudinaliter rugoso glabro alutaceo, margine acuto undulato-lobato, contextu porisque tenellis mollibus inaequalibus pallidioribus.

Ex Herb. Berkeleyano, sine nomine cum inscriptione: E Carolina superiori 547.

Nobilissimus inter omnes mihi cognitos Polyporos, quem vero a Berkeleyo non descriptum inveni, quare provisorie h. l. inseram speciem hanc stirpem eximie illustrantem. Segmentum diametrale pilei, quod adest, fere pedale, ubique aequaliter ($\frac{1}{2}$ unc.) crassum, utrinque planissimum, margine in lobos breves inciso. Superficies cuticula tenui, arcte adnata et persistente tecta, longitudinaliter et abrupte radiato-rugosa, saepe quoque minute ruguloso-scabrosa, ceterum glabra, obscure alutacea. Substantia tenax, recens mollis videtur, sicca vero suberosa, nec lignosa, contextu longitudinaliter fibrilloso, indeque poris opposito. Pori 2—3 lin. et ultra profundi, angulati, inaequales, subdentati, trama a pileo heterogenea. Vegetationis rationes e specimine non satis liquent, forte imbricato-caespitosus.

24. P. (Suber.) Colossus, pileo floccoso-suberoso molli crasso pulvinato, *margine tumido obtusissimo,* primitus cuticula tenella laevi vernicea sulfurea tecto, eaque secedente scabroso, contextu stuppeo mollissimo alutaceo-pallescente, poris minutis elongatis mollibus, intus fuscescentibus.

Ad caudices Cedrelae odoratae ad Puntarenam in Costa Rica. *Örsted.*

Portentum mirabile et magnitudine et ponderis levitate. Fungus dimidiatus, sessilis, reniformis sed undulatus, crassissimus (3—4 unc.) etiam in margine obtusissimo, contextu stuppeo-fomentario (nullo modo fibroso ut in

Spongiosis), mollissima, alutaceo-pallida l. isabellina. Pileus extus quoque mollissimus, ut digito pressus foveas relinquat persistentes, undulatus, more *P betulini* tectus cuticula laevi vernicea arcte adnata citrina, et in hoc statu pileus politus apparet, at cuticula secedente scabrosus evadit et decolorans. Pori valde longi et densi, absque trama discolori et a pileo separabiles, ore minuto, exsiccati nigrescentes, intus fuscescentes; in vivo enim admodum molles et hinc in exsiccatis confluunt in callum nigricantem absque poris extus conspicuis. Ad truncos ins. *San Jan* Indiae occid. lectus est fungus aeque giganteus, textura eadem, modo obscurior et pondere gravior; sed pileus epelliculosus, scabrosus, nigrescens. Pro forma prioris exoleta habeo.

P. portentosus Berk. Cent. I. n. 5. plurimis notis congruens ob pilei marginem tenuem et acutum et poros breves distinguendus. Magis videtur, ipse Auctore observante, affinis *P. Eucalyptorum* Pl. Preiss., sed hic cuticula obscura jam distinctus. Hi omnes, ut Europaeus *P. soloniensis* Epicr. fomitem nativum praebent.

25. P. (Suber.) Afzelii. Epicr. p. 461.

In medio truncorum adhuc stantium in Guinea. *Afzelius ic. 5.*

Pileus dimidiatus, sessilis, semiorbicularis, conchatus i. e. supra convexus, subtus concavus, basi truncatus, e carnoso suberosus, mollis, laevigatus, glaber, 2—3-unc. latus, albescens, nitidulus, margine acuto subrepando. Contextus non elasticus, licet floccosus, mollis, *P. officinalis* similis, sed gilvo-pallidus, cuticula tenui adnata. Pororum stratum omnino hujus generis et margine proprio vulgo cinctum; pori elongati, tenuissimi, absque trama, intus albidi, sed ore grisei. Fungus ab omnibus descriptis magnopere diversus, at manifeste e Suberosorum stirpe.

26. P. (Suberosi) naucinus, pileo e carnoso suberoso-indurato postice gibbo versus marginem acutum attenuato, cuticula furfuraceo-secedente fuscescente, intus albo, poris rotundis curtis perexiguis cinereo-fuscis.

Ad truncos juxta Mirador in Mexico. *Liebman.*

Alia pernobilis species, licet facies squalida. Pileus dimidiato-sessilis, nec decurrens, 3 unc. circiter latus, postice sat crassus et gibbus, versus marginem acutum declivis et attenuatus, impolitus, cuticula fatiscente quasi pruinatus, opacus, sordide fuscus, absque omnibus zonis et sulcis. Siccus valde induratur, contextu firmo farinoso-flocceoso azono albo. Subtus planus est et cinereofuscus, poris tenellis valde stipatis, absque trama pilei,

aegre conspicuis et vix $\frac{1}{3}$ lin. profundis, ore regulari rotundo. Quoad texturam *P. betulino* aut potius *P. officinali* (= *P. palustri* Berk.! et Curt. Cent. III. n. 215 ipso monente) affinis.

* P. OBDUCTUS Berk.! Cent. I. n. 80 quoddammodo praecedentibus affinis, sed potius novae stirpis rudimentum. *P. strumosus* Epicr. p. 462. habitu hujus stirpis l. potius P. dichroi e pororum morphosi referatur ad Polystictos.

Stirps O. POLYPORI LIGNESCENTIS.

Haec nova stirps, typo *P. saligno* Europaeo (Epicr. p. 452), colligit insignem numerum specierum exoticarum v. c. *P. lignescentem* Kl.!, *P. Cubensem* Mont.! *P. contractum* Berk.!, *P. anebium* Berk.! P. durum *Jungh. Jav. p. 62* aliosque. Medium exacte tenent locum inter *Eupolyporos* et *Fomites,* Suberosos et Lignosos. Ab omnibus praecedentibus recedunt pileo plus minus concentrice sulcato l. striato et substantia vegeta quidem molli et succosa, tamen coriacea simul, unde siccitate contracti et vulgo incurvati. A Fomitibus recedunt vegetatione annua, substantia, primitus molli, subfibrosa, poris numquam stratosis.

* P. (LIGNESC.) SALIGNUS. Epicr. p. 452. Icon in Mus. Ac. Sc. Holm.

Ad Salices vetustas prope Holmiam. Autumno.

Ad tribum illustrandam addere necesse duco insignis speciei descriptionem. Pilei caespitosi, imbricati, concrescentes, ad typum (Merismatum) Caseosorum, magnitudine varii, plures uncias transversim lati, coriaceo-molles, siccitate leviter contracti eximie lignoso-suberosi, adpresse villosi, omnino azoni nec concentrice sulcati (quo a sequ. differt) $\frac{1}{2}$ unc. et ultra crassi, postice vulgo gibbi. Contextus dense fibrillosus, pallescenti(ligneo-)albus in siccis. Pori omnino heterogenei, in siccis linea obscuriori ab hymenophoro limitata, minuti, stipati, 2 unc. usque longi, tenelli, acuti, in vivo molles, quare sicci contrahuntur, lacerantur, hinc inde lacunas linquentes.

An Daedalea saligna S. M., olim ad basin salicum Lundae lecta, omnino eadem non satis liquet. In praesente distinguere non ausus sum, licet et vegetatione et pororum forma recedat.

27. P. LIGNESCENS. Klotzsch. — Epicr. p. 471.

Ad truncos ins. Oahu. *Kamphövener.*

Typum hujus tribus offert et pori exacte Polypori. Sequens fungus eidem adeo affinis, ut hoc loco potius inseram, quam inter *Dichroos:*

28. P. (LIGNESC.) IMPOLITUS, pileo effuso-reflexo e carnoso suberoso-lignoso triquetro scruposo inaequabili azono albo, contextu fibroso can-

dido, poris stipatis tenuissimis elongatis, versus basin albis, apicem versus fuscis, ore acuto.

Ad truncos in Costa Rica. *Örsted.*

Fungus in spiritu vini servatus molliusculus erat, exsiccatus vero durissimus, contractus duplo minor, 2—4 unc. transverse latus. Forma triquetra, basi decurrente, hinc latissima, truncis adnata, at facile secedens et, quod singulare, in hac plaga obsolete poroso-reticulatus. Pileus *anodermeus,* valde declivis, postice gibbus, valde inaequabilis, hinc inde quoque poroso-reticulatus; substantia crassa, tenuiter fibrosa, tenax, azona, candida. Pori iis *P. lignescentis* similes. Forte tamen juxta *P. diffusum,* ob pileum anodermeum azonum et effuso-reflexum potius inserendus.

29. P. (Lignesc.) anebius. Berk. Cent. II. 177.
Specimen adest absque loco definito. (E Ceylonia. *Berkeley.)*

In specimine praesente pileus semicircularis laevigatus polito-nitens, cuticula adnata fere tectus, ut ad Suberosos referres, at pileus concentrice sulcatus et siccitate contractus. Substantia fulvo-pallida porisque minutis aequalibus obtusis gilvogriseis (structura ceterum tribus) a proximis facile dignoscitur. — *P. supinus* his videtur valde affinis, at semper lignosus.

30. P. (Lignesc.) Liebmanni, pileo e carnoso lignoso-indurato obovato sessili glaberrimo obsolete concentrice striato badio, contextu tenui fibroso porisque elongatis stipatis minimis pallidis ore rotundo regulari.

Variis locis in regno Mexicano, at parce, ut ad Mirador, Totatla etc. *Liebman.*

Minima, at distinctissima suae gregis species, *P. castaneo* similis, simpliciter puncto laterali sessilis, nec latere diagonali basive effusa. Pileus obovatus, dein reniformi-dilatatus, unciam l. parum ultra latus, 1—3 lin. crassus, ex maxima vero parte e poris elongatis formatus, cute haud discreta, sed rigidula, glaberrima, leviter concentrice striata, opaca, badia tectus. Contextus fibrosus, albus, $\frac{1}{3}$ lin. crassus, ob substantiam vegeti mollem circumcirca contrahitur et margo obtusus incurvatur. Hymenium pileo oppositum et omnino heterogeneum, e tubulis longis et subtilibus constipatum ore rotundo, primitus obturato facie Sterei, sed intus monstrat strias (pororum incunabula).

Series altera: FOMES.

Trib. P. Mesopodes. Epicr.

Haec et sq. tribus artificiales sunt et provisoriae (stipes enim laterales

et centralis in eadem specie saepe variat); sed ob species quasdam non visas in stirpes naturales solvere non licuit.

31. P. (FOMES) INCRUSTATUS, pileo suberoso-lignoso subdepresso rugoso glabro umbrino, versus marginem inflexum concentrice sulcato, stipiteque toruloso firmo crustato-laccatis opacis, contextu porisque exiguis subrotundis pallidis.

Ad San Joce in Costa Rica. *Örsted.*

Medius quasi inter P. umbraculum et lucidum. Stipes centralis, 2—3 unc. longus, crassus, inaequalis, medio vulgo rami rudimento. Pileus crassus, planiusculus, medio depressus, 2—3 unc. latus, inaequabilis, rugosus, glaber, sordide umbrinus, centro laevis, circa marginem sulcis concentricis notatus, margine rotundato et inflexo ut pileus subtus in ambitu sterilis et paginae superiori similis. Pileus et stipes crustato-laccati, sed opaci, quod ex aetate forsan pendet.

32. P. (FOMES) RUGOSUS. Nees. — Epicr. 435.

In Guinea. *Afzelius.*

A fungo javanico non distinguendum censeo, licet differat forma regulari, stipitis apice dilatato, unde pori a stipite remoti, pileo concavo evidentius zonato. Stipes 2 unc. longus, penna anserina paulo crassior, flexuoso-erectus, inaequabilis (basi demum cavus? vix normale) cinereo-fuscus, extus pruinosus. Pileus lignoso-coriaceus, 4 unc. usque latus, sed vix lineam crassus, inaequaliter deflexus et margine sinuosus erosusque; superne sulcis concentricis striisque a centro radiantibus inaequabilis, unicolor, opacus, murinus. Contextus cinnamomeus. Pori minimi, non nisi oculo armato conspiciendi, punctiformes, acuti, tenelli, admodum curti, sed prorsus heterogenei, fusco-nigri, in stratum subsecernibile stipati et primitus flocculoso-velati. Hinc clare genere diversus a subsimilibus Polystictis. — Affinis dicitur, mihi non obvius, *P. rudis* Berk. in Ann. Hist. Nat. III. p. 323.

* P. (FOMES) SCHOMBURGI. Berk.! Cent. I. 12.

Cum praecedente, cum quo junctus fuit, sed diversus videtur stipite gracili incrustato atro, pileo (tenui) orbiculari profundius sulcato glaberrimo dilute spadiceo. Pori minuti, nigricantes, prorsus generis. *P. guianensis* Mont. Cent. II. 112 poris amplis jam longe distat.

* P.? CALCIGENUS. Berk.! Bras. n. 19.

Quoad staturam et habitum ex hac regione est; stipes fere idem, pileus badius et obsolete sulcatus, margine refracto inflexoque (fere P. nutantis infra), sed pororum fabrica a genere omnibusque mihi cognitis deflectit.

Sunt nempe praelongi, magni, nullo modo tubulosi, sed dissepimenta pileo homogenea membranacea mollia, ut in segmento transversim crispata pallida. Suae stirpis, nisi generis! species.

Trib. Q. Pleuropodes. Epicr. Cfr. *antec.*

33. P. (Fomes) lucidus. Epicr. p. 442. Stipite centrali!

In insula San Jan, Indiae occidentalis. *Örsted.*

Ambigit specimen praesens inter *P. lucidum* et *Curtisii,* sed pileo et stipite laccatis fusco-atris ad illum referendum.

34. P. (Fomes) Curtisii. Berk.! *Cent. III. n. 213.*

In Mexico ad Xalappa.

Specimen parvum, pileo luteolo, stipite laterali. Praecedenti nimis affinis et cum *japonico* fere collidens; sed spec. ectypa Berkeleyi speciosissima. Quam plurimas formas misit Curtis, inter quas una pileo exoleto dealbato subsericeo; hac morphosi ab omni P. lucido clare differt.

35. P. (Fomes) nutans, pileo (perexiguo) suberoso tenui orbiculari convexo abrupte concentrice sulcato et a stipite, vertici pilei adnato, radiato-rugoso e pallido badio-nigro, stipite procero gracili crustato-laccato apice recurvo, poris longissimis minutis rotundis e pallido brunneis.

Ad San Joce in Costa Rica. *Örsted.*

Singulare naturae artificium, e stirpe *P. amboinensis.* Stipes spithamam usque longus, sed 2—3 lin. tantum crassus, basi tuberosa excepta aequalis, sed flexuosus et tortus, quasi volubilis, at omnino simplex, glaber, crustato-laccatus, junior pallens, vetustus castaneo-nitens. Apex stipitis recurvatur et in verticem excentricum pilei penduli continuatur; pileus igitur est integer, superne, nec inferne, stipitatus. Pileus pro ratione minimus, glaber, $\frac{1}{2}$ — vix 1 unc. latus, habitu *Hydni Auriscalpii,* orbicularis, in disco planiusculus, sed ad latera omnino perpendicularis, hinc margo truncatus. Duplex adest forma, altera junior pileo pallidiori, circa marginem obsolete concentrice sulcato, subtus concavo cochleariformi; altera vetusta pileo a vertice (insertione stipitis) radioso-rugoso badio-nigro, subtus e poris maxime elongatis plano. Utraque forma statura et magnitudine prorsus congruit; pileus e successivo incremento non dilatatur, sed poris elongatis crassior fit, unde margo perpendicularis etc. Substantia propria tenuissima est et floccosa, dura tamen; primo albida, dein pallide ferruginea; pileus vetustus totus fere e poris elongatis formatus est. Pori minuti, rotundi, obtusi, primo clausi albidi, dein aperti brunnei, intus ferruginei. Magna adest affinitas cum *P.*

(Fomentar.) nitente, in quo pileus multiplo major et e vertice porrecto tantum pendulus.

* POLYP. (FOMES) LONGIPES. Lev.! l. c. 1846. I. p. 124.

Descriptio multis rationibus recedit, at quoad habitum et formam cum praecedente prorsus convenit. Stipes v. c. non »lateralis« ut ab Auctore describitur, sed pileus integer, stipite a vertice porrecto e. s. p. Primo igitur utrumque prorsus identicum habui, ex utriusque vero speciminibus accuratius comparatis *P. longipes* differt non modo pileo majori, repando etc., sed essentialiter poris duplo majoribus pallidis. His rationibus cum *P. Rhizomorpho* Mont. Cent. II. n. 11 convenit, alia manifeste analoga species, quae vero mesopus, stipite infra, nec supra pileum inserto et hinc hymenium subinde in stipitem decurrit. Eadem ratio videtur *P. Auriscalpii.*

Trib. R. MERISMOIDEI.

Nulla in his collectionibus adest species. H. l. *P. crassus,* Fomentariis maxime affinis, *P. graveolens, P. senex* Mont., *P. furcatus* Jungh. Jav. etc.

Stirps S. P. FOMENTARII.

Sessiles, pileo suberoso-fomentario, crusta cornea rigida incrustato. Tribus vastissima, et in diversis terris, ad diversas arbores, mire mutabilis. In speciebus distinguendis igitur cauti simus, cum leve capit scientia incrementum ex una alterave specie exotica distincta. Praecipue forma mire ludunt, a formis resupinatis ad caulescentes et stipitatos, ut fieri possit, quam paradoxum videatur, *P. nutantem* a P. nitente natum esse. Nec minus fallaces sunt formae sitaneae et annosae, et inter hos emortuae et revivescentes. Hi tres status v. c. *P. pinicolae* pro totidem speciebus vulgo sumuntur.

36. P. (FOMENTAR.) PEDIFORMIS. Epicr. p. 463.

In Guinea ad truncos. *Afzelius, Ic. 2.*

Est in stirpe *fomentaria* nobilissima species. Pileus lignosus, durissimus, basi angustatus et sessilis, nec latere diametrali adnatus, orbicularis, 2–3 unc. latus leviter convexus, a basi ad marginem sublobatum, vulgo duplicatum, jugis radiantibus rugosus, quasi e digitis in pedem coalitis formatus. Superficies ceterum crustato-laccata, glaberrima, nitida, fragilis, versus marginem concentrice sulcata, atra. Contextus lignosus, pallide umbrinus, quamquam durissimus a tineis misere vexatus. Pori impalpabiles, obtusi, longissimi, pallide umbrini in stratum durum nitidum coaliti. — *P. sideroides* Lev.! l. c. 1844. II. p. 182, stipitis rudimento insignis, e descr. variis notis quidem recedit, sed facile status junior!

37. P. (Foment.) orbiformis. Epicr. l. c.

Multis notis, ut pileo durissimo orbiculari, leviter convexo, nec pulvinato, etc. cum priori convenit, sed major crassior (unciam et ultra crassus), absque omnibus jugis radiantibus facieque pedata. Crusta minus nitens, fusconigra, griseo-pruinosa; juga concentrica valde angusta et interdum obsoleta. Contextus grumoso-floccosus, pallide umbrinus, inter tendines lignosos radiantes, minus evidentes tamen quam in *Tr. Sceleto.* Pori minuti quidem, sed prioris duplo majores, conspicui, admodum elongati, distincte stratosi, fuscescentes. Ab omnibus suae stirpis recedit poris majusculis angulatis et substantia molliori, siccata haud rigente.

38. P. (Foment.) australis. Epicr. p. 464.

Ex insula Nikobar. *Didrichsen n. 14.*

Forma vegeta, reniformi-semicircularis, pileo laccato-nitido, concentrice sulcato et lacunoso rugoso, 3 unc. lato, atro, margine deflexo acuto. Contextus tenuissimus umbrinus. Pori simplici strato! sed valde elongati; pallide umbrini, ore minuto subrotundo albicante. — In forma juvenili, pileus fuscorufescens, marginem versus pallidus. Ex utraque hac forma patet distinctissimam sistere speciem formam sitaneam in Epicr. dubie subjunctam, quae nunc

* P. (Foment.) chilensis, pileo suberoso ungulato-dilatato jugis elevatis concentricis tuberculosis colliculoso undulatoque lateritio-pallescente, contextu molli laxe floccoso umbrino, poris elongatis contiguis pallide umbrinis.

E Chili. *Hochstetter.*

Pileus semiorbicularis, ultra spithamum latus, non laccato-nitens, contextu molli sub crusta rigida, tuberculis suis magnis habituque inter vicinos insignis.

39. P. (Foment.) Oerstedii, pileo suberoso-lignoso crasso utrinque applanato dilatatoque concentrice sulcato glaberrimo fulvescente, margine truncato, poris rotundis minimis, intus umbrinis, ore ochraceo-pallido.

Ad San Jan, Indiae occidentalis. *Örsted.*

Nobilissima inter affines species, *P. australi* vicina, at distinctissima. Pileus reniformis, ungulato-applanatus, sed basi gibbus, transversim pedem latus, corneo-incrustatus, glaberrimus, sulcis haud profundis exaratus, margine obtusissimo truncato concentrice sulcato e diversorum annorum incrementis, quorum primum et summum extra reliqua prominet, reliqua aequalia l. deorsum decrescentia. Substantia durissima, floccosa, umbrina, tenuissima; pileus enim intus e maxima parte e poris formatus est, hi vero

contigui, ut in Fomitibus regionum calidiorum saepe fit, nec stratosi, ut in terris frigidioribus. — Alia adest simul forma *stipite brevissimo laterali,* pileo 3 unc. tantum lato obovato (exoleto castaneofusco), margine deorsum maxime decrescente ob strata seriora valde diminuta.

* P. (Foment.) ochrolaccatus. Mont. Cum.! Phil. n. 1989 quoad poros priori haud absimilis, sed forma pilei pulvinata et pilei indumento verniceo, quasi peregrino, diversissimus est.

40. P. (Foment.) cupreus, pileo lignoso durissimo ungulato semiorbiculari leviter concentrice sulcato brunneo-nigricante, intus albo-fuscoque variegato, poris longissimis tenuissimis callo verniceo cupreo obturatis.

E Guinea. *Afzelius.*

Similis *P. australi,* at multis notis recedens. Pileus convexus, 3—4 unc. latus, unciam vix crassus, dense at obsolete sulcatus, e dilute brunneo nigrescens, glaberrimus. Substantia admodum tenuis, sed admodum singularis (non fomentaria), larvis infestata, sub cute rigida et juxta poros strato tenui albo, intermedio fusco. Subtus obduciter callo rigido haud pertuso, sed subtiliter punctato, cupreo, glaberrimo nitido; intus vero ex maxima parte constitutus est e poris longissimis $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ unc. longis, tenuissimis, haud stratosis, pallide fuscis et versus basin saepe albicantibus.

* P. fuscopurpureus Pers. (Epicr. p. 466) est *Trametes badia.* Berk.

41. P. (foment.?) mortuosus, umbrinus, pileo suberoso tenui utrinque applanato a basi radiato-rugoso concentriceque sulcato, crusta tenui glabra laccato, contextu floccoso porisque minimis stipatis concoloribus.

In Pulo Milu ad truncos. *Didrichs. n. 41.*

Species ab omnibus mihi cognitis valde diversa, tantum ob crustam hoc loco recepta, forte annuus et *P. dryadeo* proximus, at valde tenuis. Color intus forisque nigrescenti-umbrinus. Pileus dimidiato-adnatus, suberosus, utrinque planus, postice incrassatus ($\frac{1}{2}$ unc. usque crassus), versus marginem acutissimum, strictum, saepe lobatum, attenuatus, 2—3 unc. transversim latus, sulcis paucis remotis concentricis notatus. Vestitur crusta laccata, rigido-fragili, opaca. Pori minimi, stipatissimi (absque trama, ergo verus Polyporus!), vix lente simplici discernendi, sed substantia pilei longiores (2 lin. et ultra longi.)

* P. (F.) pullus. Mont.! — Berk. sed proximus.

42. P. (Foment.) cupulaeformis, Berk. et Curt.!, lignoso-suberosus, minimus, pileo cupulaeformi e vertice porrecto pendulo incrustato fusco-

nigro griseopruinoso, discum concavum argillaceum demum poroso-pertusum margine orbiculari obtuso prominente cingente. *Peziza digitalis* Schwein.! Syn. Car. n. 1183. *P. pendula* Schwaegr.! *Cyphella*, S. M. II. p. 203. *Polyp. pendulus* mscr.

Erumpit per cortices arborum in America calidiori, passim.

Summopere insignis hic fungus, quem div. *Schweiniz* primo cum diversissima *Cyphella digitali* confundit, quoad genus maxime dubius semper mihi visus est; in statu primario poris prorsus destitutus quidem, sed manifestissime abit in formam porosam et e speciminibus Curtisii cum *P. cupulaeformi* Berk. Cent. III. n. 216 prorsus identicum video, licet descriptio recedat. Cupula regularis, 2—3 lin. lata, e vertice ad 2 lin. porrecto pendula, pseudostipite rugoso, in situ horizontali recto, in verticali vero decurvato; extus crusta tenui fusca glabra, sed dense griseo-pruinosa obducta, versus marginem radiato-striata. Margo orbicularis, obtusissimus et incurvatus, supra discum admodum prominens. Discus ipse concavus, sed *substantia pilei alba* crassior, lineam circiter latus, argillaceo-pallens, primitus omnino laevis aporus (intus vero e tubulis fuscostriatus), adultus vero poris pertusus obtusissimis. — Ad *P. nitentem* accedit, et decies minor.

P. cupulaeformis una cum *P. pullo* et *micromega* Mont. peculiarem fere stirpem praebet. Ad FOMENTARIOS accesserunt variae novae species, sed IMPOLITIS et LAEVIGATIS haud distinctis absque speciminibus singulis definitum locum adsignare difficile est. H. l. videntur *P. tropicus* Jungh. Jav. 28 (P. nigricans l. c. = P. australis), *P. galegensis* Mont. Cent. I. n. 41, *P. Auberianus* Mont. Cub. p. 399, t. 16, f. 1. *P. ligneus* Berk. Ann. Hist. Nat. III. p. 387, *P. rhabarbarinus* l. c. p. 388 (»Pileus almost lacquered«) *P. gryphaeformis* Berk. Cent. I. n. 41 e. s. p.

U. Stirps P. IMPOLITI.

Pileus dimidiatus, lignosus, perennis, primitus anodermeus, floccosus l. pruinosus, dein indurato-incrustatus a substantia ipsa rigente. Contextus fibroso-radians descendens in poros stipatos, elongatos, non stratosos.

Inter Fomites respondent Spongiosis s. stirpi *P. hispidi* in prima serie; a Fomentariis, cum quibus ob cutem induratam confusi, tam defectu crustae (propriae) corneae, quam contextu. Colligit multas species: a) *umbrinas* (*P. leprosus* Epicr., cui affines *P. Hasskarlii* Lev.! in Ann. Sc. Nat. l. c. et *P. melanoporus* Mont. Cent. III. p. 7. *P. dubius* Berk. Mag. Nat

Hist. X. p. 374, *P. latus* Berk. l. c. III. p. 325) — b) *fulvus* (*P. fulvus, P. pectinatus* etc. Epicr. nec non *P. Isidioides* Berk., *P. pertusus, P. Wahlbergii* Cfr. Fung. Nat. p. 10—12, *P. inamoenus* Mont. Ann. Sc. Nat. 1842. II. p. 25) — c) *Contextu albo: P. compressus* Berk. Cent. I. n. 39, *P. ochroleucus* Berk.! Cent. I. 38. Hae binae valde insignes, inter se vero quam maxime affines species, potius Trametes crederes sed pororum genesis Polypororum; determinate syngenei sunt, nec ulli adsunt foveolares versus marginem!

43. P. (Impoliti) rimosus, pileo lignoso durissimo pulvinato-ungulato e stratis annosis, demum rimosis subumbrinis, profunde sulcato, sitaneo latiori velutino-pruinato cinnamomeo, contextu fibroso porisque longissimis tenuissimis fulvo-ferrugineis, ore impalpabili rhabarbarino. *P. rimosus* Berk. Cent. I. n. 40 e descr.

Olim e Nova Hollandia accepi; nuperius, post editos Fungos Natal. magnificum specimen e Cap. Bon. spei obtulit *Wahlberg*.

Descriptio *Berkeleyi* de synonymo dubia vix relinquit; a *P. pertuso* Fung. Nat. statura conformi, omnino diversus. Pileus admodum dilatatus, spithamam usque transversim latus, 2 unc. et ultra crassus; diversorum annorum accrementa sulco profundo distincta, nec decrescentia, sed inferiora et seriora latiora sunt; annosa emortua fusco-nigricantia, valde rimoso-partita ut in *Tramete Pini*. Stratum marginale latum, pruinato-velutinum, ut etiam pagina inferior plana, exactissime rhabarbarina. Contextus pro more durissimus, eximie radians, fibris continuis cum poris ultra unciam longis, subtilissimis, (neutiquam stratosis), nudo oculo impalpabilibus.

44. P. (Impoliti) dryophilus. Berk.! Cent. II. p. 129.

In Quercubus in regno Mexicano. *Ravenal.*

Est quasi *P. hispidus* lignosus, absque omnibus sulcis concentricis et undique scabrosus, quare sitaneum esse facile crederes. Structura in genere prioris, sed tenacior et obscurior; poris itidem praelongis, omnium vicinarum conspicue majoribus, nudo oculo facile discernendis, ore fusco-cinnamomeo. — Similem fungum in Svecia ad Populos Filius legit, quem pr. t. ad *P. fulvum* retuli (Cfr. ic. *Mus. Holm.*) sed poris subtilissimis impalpabilibus ab utroque differt. Pileus hujus undique pariter hispido-villosus, azonus, sed substantia mollior.

45. P. (Impoliti) sarcitus, pileo lapideo-lignoso applanato ex accrementis imbricato-sulcato fibroso-lacero subsquamoso umbrino, intus fulvo-

luteo, striis radiantibus albis variegato, poris minimis obtusis aequalibus pallide fulvis.

Ad truncos ins. San Jan, Indiae occ. *Örsted.*

E priorum foedere, at quam maxime singularis et ad Trametes Hydnoideos transitum parans. Primo obtutu imbricato-concrescentem crederes (ut *P. conglobatus* Berk.! Cent. I. n. 79, qui vero cum nostro comparatus pusio est; insuper Trametis species!), at pileus simplex et strata concentrica, quasi imbricata, e diversorum annorum accrementis oriuntur. Superficies ceterum fibrosolacera, subsquamosa, *Tram. gallicae* similis; in vetustissimis tantum stratis hae fibrae detersae et superficies rimosa, ut in *P. rimoso.* Substantia durissima, non crassa ut in prioribus, obscurius fibrosa, sed striis albis pulchre variegata. Subtus planus est, poris curtis, nudo oculo impalpabilibus et saepe obturatis. His quam maxime differt a *P. heteroporo* Mont. Cent. II. n. 95, ceterum mihi ignoto.

46. P. (Impoliti) holosclerus. Berk.! Cent. II. p. 173.

Specimen praesens ex omni parte refert Berkeleyanum, sed indumento *P. rubiginosi* Berk.! in Ann. Hist. Nat. III. p. 324 (Non Fr.) obductum est, utramque speciem facile jungens — ut etiam hanc et sequentem stirpem, cui strictius e superficie demum polita referendus, sed color, contextus, habitus hoc loco collocant. Prius servavi nomen, cum alterum mutandum esset.

X. Stirps P. laevigati. *Lignosi* Epicr. p. 470.

Pileus dimidiatus, lignosus (etiam primitus aridus, quo a Lignescentibus, supra, differt), cuticula tenui laevigata (non discreta, heterogenea) tectus, subpolitus (junior vero saepe flocculosus). Pori stipati, non stratosi. Contextus floccoso-fibrillosus, pallidior.

Pileo dermatino a priori stirpe, defectu vero crustae discretae corneae a Fomentariis differt. Habitus ab utroque vero diversus et ad Trametes proxime accedunt, at pori generis.

47. P. (Laevig.) coccineus, dimidiato-sessilis, pileo suberoso pulvinato e flocculoso polito azono e gilvo alutaceo-pallescente, contextu pallido venis rubris variegato, poris stipatis elongatis minutis intus forisque ruberrimis. *P. pandani* Epicr. p. 469?

Ad caudices in insula Coralliorum Atoll Motuiti. Legit Prof. Behn. *Didrichs. n. 34.*

Cum praecedente forsan confusus, sed plane diversus ab illius formis

decoloratis pallentibus. Forma potius *Tramet. cinnabarrinae*, at forma pulvinata, colore et praecipue poris, qui hujus generis et prioris vix majores, mox removent. Pileus numquam stipitis rudimentum offert, sed secus totam diagonalem latere adnatus, basi decurrens et *junior multo* crassior, quam latus, triqueter, dein pulvinatus, flocculosus; dein magis explanatus, 3 unc. usque latus, unciam crassus, supra convexus, glabratus, at non nitens! instar prioris, inaequabilis, margine acuto. Contextus firmus, aridus, flocceso-fibrillosus, pallescens, *Fistulinae hepaticae* instar rubro-marmoratus. Subtus planus, obscure miniatus, poris ultra lineam longis, minutis, rotundis, aequalibus, obtusiusculis.

48. P. CARNEOFULVUS. Berk.! ined., pileo suberoso-lignoso rigido reniformi utrinque applanato laevigato glabro obscure gilvo, intus fulvo, poris minimis rotundis brevissimis cinnamomeis.

Ad truncos in *Guiana* Berk.! herb.; e Brasilia vidi monstrosam formam.

Omnium partium colore, supra indicato, a proximis clare differt, sed statura, forma et magnitudine cum *P. Kamphöveneri* infra convenit. Structura non est illa longitudinaliter fibrillosa Polystictorum, sed flocceso-suberosa Trametum. Pori vero admodum stipati, nudo oculo vix discernendi, videntur omnino Polypori, licet admodum curti, vix ½ lin. l. parum ultra profundi et pilei margo patens, acutus. Pilei superficies nec floccosa nec zonata visa est; vetustioris (ut spec. Brasiliensia) fere brunnea. — An *Polyp. cupreus* Berk.! in Ann. Hist. Nat. III. p. 393. vere diversus sit, nescimus. Quamtum e fragmentulo judicare licet differt modo pileo tenuiori.

49. P. (LAEVIG.) SUPINUS. Epicr. p. 471. Berk.! Ann. Hist. Nat. X. p. 375. *P. Valenzuelianus* Mont. Cub. t. 15. f. 4, teste Berkeley, sed icon laudata a meis specc. quoad colorem prorsus discedit.

In India occidentali (*Sw.*, *Benzon*) et America boreali, passim.

In nostris et Berkeleyanis speciminibus *pileus dealbato-pallescens* (decoloratus?) laevigatus, glaber; pori minuti, rotundi, conspicui, nunc umbrini rore griseo l. exoleti fusci. In exoletis etiam contextus fuscescit. Habitus fere *P. adusti!* Quoad formam maxime variat effuso-reflexus, pulvinatus, et ut etiam magnitudine.

50. P. (LAEVIG.) SANGUINARIUS. Klotzsch.! Epicr. p. 470.

In insulis Archipelagi Indici.

Cuticula decolorante, hinc inde sanguineo-variegata insignis; quantum e

spec. minus completo judicare licet idem est ac *P. vulneratus* Lev.! Ann. Sc. Nat.

Obs. *P. paleaceus* Epicr. p. 471, habitu prorsus hujus stirpis, e poris est Trametis species.

51. P. (LAEVIG.) NUBILUS. Epicr. p. 471. *P. ferreus* Berk.! Cent. II. n. 175.

In Guinea. *Afzelius.* Ic. 1.

Specimina Guineensia, quae specie omnino congruunt cum Berkeleyano fungo, adulta sunt indeque prorsus glabrata; sitaneus vero pileus ex Berk. cervinus, velutinus, quod analogia vicinarum specierum confirmat. Pileus dimidiatus, basi scutato-dilatata adnatus, lignosus, admodum durus, utrinque applanatus, subreniformis, 3 unc. circiter transversim latus, inaequabilis, fuscobrunneus, versus marginem albescens, non zonatus, sed sulcis concentricis leviter et obsolete exaratus; margine integro tenui, at non acuto. Contextus compactus, subfibrillosus, tenax. Pori minuti, nudo oculo aegre conspicui, curti (lineam vix longi) subrotundi, aequales, obtusi, contextu concolores, ex albo ligneopallidi Affinitatem cum *P. fasciato* optime notavit *Berkeley,* qui hanc speciem plenius illustravit; nolui tamen excludere descriptionem formae, quae speciei fons. — *P. levissimus* Epicr. p. 470, collatis utriusque speciminibus authenticis, prorsus diversus est a *P. laevi* B.!

52. P. (LAEVIGAT.) KAMPHÖVENERI, pileo suberoso-lignoso rigido reniformi utrinque applanato concentrice sulcato e pubescente glabrato alutaceopallescente, margine acuto, intus floccoso pallescente, poris minutis subrotundis stipatis alutaceis.

In Insula Tahiti. *Didrichs. n. 55.*

Forma et statura prioris, sed coloribus Lignescentes magis refert: hic vero semper rigidus et induratus. Pileus tenuis, utrinque applanatus, basi decurrens (ad typum prioris, *P. fasciati* etc.) primo obovatus, leviter flocculosus; adultus reniformis, glabratus, ad 3—4 unc. dilatatus, 2—3 lin. crassus, concentrice sulcatus, sed absque omnibus zonis discoloribus, alutaceopallescens, junior et versus marginem acutissimum saepe in griseum vergens. Pori minuti, stipati, 1 lin. l. parum ultra longi, rotundi, aequales, stramineo-alutacei. An idem sit *P. marianus* Pers. in Pers. Freyc. e descriptione minus completa non liquet.

* P. (LAEVIG.) MICROCYCLIS. Zippel.! — Leveill. Ann. Sc. Nat. 1844. II. p. 188.

Haec species, quam e pileo coriaceo tenuissimo dense concentrice sulcato glabro castaneo pro Polysticto facillime sumeres, e poris verus est Poly-

porus et pro tempore saltim in hac stirpe inserendus, quamvis sit nulli mihi cognito affinis. *P. dialeptus* substantia etc. longe recedit. Pori admodum minuti, curti, aequales, obscure cinereo-fusci, fere *P. secernibilis.*

53. P. (Laevig.) aegerita, albidus, pileo suberoso-lignoso planiusculo basi decurrente azono laevi, primo flocculoso, dein glabro, *contextu floccoso albo,* poris minutis rotundis pallescentibus.

Ad truncos in Mexico.

Pileus dimidiatus, induratus, rigidus, transversim 2 unc. latus, supra planiusculus sed marginem versus declivis absque zonis et sulcis, floccis subtilibus primitus vestitus. Substantia priorum crassior, firma, sed subfriabilis. Pori in stratum heterogeneum stipati, intus extusque pallescentes, integri, sed ore inaequali acuto. Affinitate naturali *P. supino* et *microporo.* forsan proximus, sed omnium partium colore distinctus.

54. P. connato Epicr. p. 472 affinis.

Ad truncos ins. Tahiti *Kamphövener.*

Recedit haec species poris in annosis stratosis. Specimen huic accedens difforme, effusum, maximum, undulatum, durissimum, candidum, poris haud evolutis.

Series tertia: Poria,

colligit omnes species e tubulis modo constitutas, s. pileo destitutas, non confundendas cum Apodis resupinatis. Ex hac serie nulla vero adest in his collectionibus. Differentia *Polypororum* et *Polystictorum* inter Resupinatos praecipue facile conspicitur.

Polystictus. Nov. gen.

Pileus coriaceus, inodermeus; strato intermedio fibrilloso, abeunte in hymenophorum, in quo pori successive a centro versus ambitum explicati, primitus superficiales, punctiformes, discreti, aperti, dein excavati congesti porosi et *pilei substantia* (horizontali) *verticaliter oppositi,* trama ab hymenophoro formata. Sporophora tetraspora. *Vegetatio concentrica, zonata.*

Facillimum est genera aberrantia et specierum inopia in nova lacerare; hoc vero parvi momenti censeo, maximi genera vastissima, centralia, in series definitas (quas genera dicere necesse est) solvere. Laetamur nobis contigisse vastissimum et intricatissimum genus Polypori in duo disponere, non modo ad vegetationis rationes, sed etiam e pororum genesi et morphosi diversa. Polysticti Trametibus manifeste magis affines, quare in Summa Veg. Scand. jungendos finxi, sed cum Trametes sistunt gregem natu-

ralem, jam habitu facile recognoscendam; nec non pileo et hymenophoro homogeneis, contextu uniformi, *descendente inter poros,* quare hi pileo contigui, nec ejus texturae verticaliter oppositi, et *longitudine inaequales* (nec aequales) Polystictos eo magis necessarium duxi seorsim proponere, cum hi sistant genus primarium et vulgatissimum s. typicum, pro cujus subgeneribus potius Trametes (una cum Daedalea) et Hexagona sumi possent.

His omnibus generibus eadem pororum genesis e foveolis superficialibus semper apertis, e centro versus ambitum successive evolutis sensimque profundius excavatis, quibus rationibus clare diffferunt a Boletis et Polyporis veris poris praeformatis, determinatis, homogeneis. Haec pororum primordia punctiformia, superficialia, discreta hinc etiam in adultis versus marginem conspiciuntur, quo in omni statu a praecedentibus discernuntur. Analogia in vicinis ordinibus horum generum nexum optime illustrat. *Polypori* plene respondent *Lentinis* Agaricinorum, *Thelephoris* Auricularinorum; *Polysticti* Panis et Stereis. Ultima tria genera non habitu modo et vegetatione prorsus congruunt, sed etiam zonis, strato intermedio filamentoso, ut imperfecte evolutas formas aegre discernas. Trametes autem anologi sunt cum Lenzitibus, ut de specierum differentia saepe dubites. *Cyclomyces* typice aberratio Polysticti, *Daedalea* vero Trametis.

Pileus Polystictorum normaliter coriaceus est, sed duplici ratione aberrat. In *Polyst. membranaceis,* primitus subtus aporis, stratum hymenophorum, intermedium reliquorum, totum resorbatur in poros, quare pori membrana inodermea modo cohaerent. In *Polyst. funalibus,* hactenus cum Spongiosis confusis, stratum inodermeum reliquorum solvitur in tegmen densissime setosum, compactum, infra quod adest primo intermedium, dein porosum, utrumque exacte hujus generis. In summopere memorabili *P. circinato* stratum superius incrassatum spongiosum, ab intermedio suberoso-coriaceo heterogeneum. Hae ipsae aberrationes peculiarem pilei structuram eximie illustrant.

A. Stirps Polysticti perennis

Mesopodes l. Pleuropodes, stipite anodermeo, contextu sporisque subferrugineis. Stipes saepe lateralis v. c. in *P. tomentoso, Cumingii* Berk.! *Leprieurii* Mont. etc.

1. P. (Perenn.) parvulus. Epicr. p. 435. *P. connatus* Schwein.! Syn. Am. p. 154.

In America boreali frequens.

Conferenti extrema stipite obeso bulboso *(P. connati)* et stipite gracili *(P. parvuli)* paradoxum videbitur hos jungi, sed adest formarum interme-

mediarum longa series nexum clare demonstrans. Color, textura, forma et praecipue pori prorsus congruunt: in utroque pileus exoletus canescens. Affinis est *P. Montagnei,* sed hic multo major et insignior.

2. P. (PERENN.) BULBIPES. Fr. in Pl. Preiss. II. p. 135. *P. cladonia* (junior) et *P. oblectus* (evolutus) Berk.! Cent. I. n. 35, 36. (ex ipso varr.).

In Mexico ad *S. Bartolini.* Liebman.

Exacte convenit cum spec. e Nova Hollandia, pori vero juniores albo irrorati ut in P. perenni, *cujus mera videtur varietas.* Stipes a basi bulbillosa attenuatus, gracilis, $1\frac{1}{2}$ unc. circiter longus, lineam l. parum ultra crassus, ferrugineus, primo subtiliter velutinus, dein glabratus. Pileus coriaceus, tenuis, pro ratione parvus, eumorphus, orbicularis, at variat lateralis!, convexo-planus, profunde umbilicatus, fibroso-radians, versus marginem obsolete zonatus, opacus, ferrugineus, exoletus dealbatus. Pori conferti, minuti, subrotundi, integri, cinnamomei. Nomina *Berkeleyi* prius publicata sunt, sed jam Majo 1844 mscr. Fungorum Preissii Cel. *Lehmanno* misi.

In meo exemplari *Plant. Cumingian. P. Cumingii* Berk. tantum adest stipite exquisite laterali!

3. P. (PERENN.?) CONCINNUS. Epicr. p. 37. Palis. Fl. Ov. l. 43. f. 7.

Ad truncos in Guinea. *Afzelius.*

Haec species hanc et sequentem stirpem prorsus jungit. Ob contextum *ferrugineum* pilei (stipitis vero *alba!*) hoc loco citavi, tota ceterum statura, stipes procerus gracilis demumque denudatus incrustatus etc. sequentis stirpis. Stipes solidus, lignosus, 4—5 unc. longus, 2 vix 3 lin. crassus, inaequalis, radicans (interdum plures ex eadem radice), primo floccoso-incrustatus, demum vero denudatus. Pileus coriaceus, tenuis, infundibuliformis, orbicularis, in ambitu rarius lobatus, primo velutinus, zonis rufofuscis cinereisque variegatus, demum denudatus fuscescens, zonis obscurioribus. Contextus floccosus, junior pallidior, adultus fulvocinnamomeus. Pori in stipitem decurrentes, absque callo manifesto, rotundi, minuti, aequales, admodum curti, versus marginem superficiales punctiformes, pallidi. — *P. heteromorphus* Lev! in Ann. Sc. Nat. 1846. 1. videtur varietas stipite laterali. In spec. authentico pori decurrentes, absque callo manifesto.

B. Stirps P. SACRI s. *Hornotini.* Epicr. p. 436.

4. P. (HORNOTINI) SACER. Epicr. p. 436. Berk. in Ann. Hist. Nat. X. p. 371. l. IX. f. 4. optime.

Ad terram in Guinea. *Afz. ic. n. 20.* (in Cap. B. S. *Montagne.*)

Princeps sane sui generis. Mycelium tuberosum, amplum, 2 unc. crassum, variae figurae (oblongum, obovatum, cordatum), extus crusta tenui quidem, sed dura inaequabili tuberculosa canolurida obductum, intus floccosum, molle, stramineum, collo angustato, facile diffracto, in stipitem abiens. Stipes solidus, intus albus, spithamam usque longus, 3—4 lin. crassus, aequalis l. sursum leviter attenuatus, rigidus, crustaceo-corticatus, primo pruinatus opacus subfulvus, dein nudus badius subnitidus, apice dilatatus in callum orbicularem marginatum velutinum. Pileus coriaceus, tenuis, rigidus, utrinque planus, 4—6 unc. latus, sed lineam modo crassus, orbicularis, repandus, sed margine integer supra callum stipitis umbilicatus, radiato-striatus, velutinus, zonis glabratis rufis badiisque variegatus. Pori sub lente angulati. *P. scleropodius* Lev. in Ann. Sc. Nat. 1846. I. p. 123 affinis videtur, at poris luridis recedens.

5. P. PULCHER. Epicr. p. 437.

In Guinea ad terram. *Afzelius ic. 19.*

Praecedenti manifeste affinis, sed longe minor et tenuior; basis incrassata casu forsan deest in speciminibus praesentibus. Stipes 4 unc. longus, 1—2 lin. crassus, tereti-flexuosus, sursum attenuatus; intus solidus, apiceve cavus, albus; extus crusta laccata, fusca, glabra quidem sed primitus leviter pruinosa obductus, apice in callum orbicularem dilatatus. Pileus coriaceo-membranaceus, flaccidus, utrinque applanatus, centro elevato umbilicatus, 2 unc. latus, orbicularis, glaber, sulcis concentricis exaratus, unicolor, opacus, fuscus, margine tenuissimo subtus sterili. Pori callo a stipite remoti, minimi, rotundi, obtusissimi, haud conferti, brevissimi, albi.

6. P. PERULA. An Epicr. p. 437 Palis. Fl. Ov. t. 43. f. 1.?

Ad truncos in Brasilia. *Lund.*

Praecedentes cum sequentibus jungit. Stipes nunc brevis, nunc longus, tenuis, teres, sursum leviter aut vix attenuatus, suberoso-lignosus, junior villosus, dein glabratus, fuscus nigrescens, basi in orbem dilatatus, non vero superne in callum. Pileus coriaceo-membranaceus, orbicularis, plano-infundibuliformis depressusve, 2—3 unc. latus, velutinus; fuscus, zonis rufis variegatus, demum glabratus, nigrescens; margine subtus sterili. Contextus tenuissimus, albus, poris in stipitem decurrentibus, nec callo a stipite remotis, rotundis, minimis, brevissimis, albis, pallescentibus.

7. P. INCOMTUS. Epicr. p. 436.

Ad truncos in Guinea. *Afzelius ic. f. 11.*

Sequenti proteo affinis, sed amplior, admodum nobilis. Stipes obliquus,

excentricus, $\frac{1}{2}$ unc. longus, 1—2 lin. crassus, teres, aequalis, glaberrimus, striatulus, ater, nitidulus, basi scutato-dilatata. Pileus papyraceo-tenuis, excentricus, oblique infundibuliformis l. cupularis, 3—4 unc. latus; junior villo denso, velutino, »primo lutescenti-fusco,» in siccis olivaceo-griseo, undique vestitus, adultus zonis angustis villosis et glabratis badiis alternantibus variegatus; exoletus totus glabratus, obscurior. Pori decurrentes in stipitem, nullo callo limitati, rotundi, minimi, nudo oculo haud conspicui, brevissimi, albidi. Formam non male refert *Ster. hygrophorum* Berk.

8. P. XANTHOPUS. Epicr. p. 437. Hor. Ber. t. 17. f. 12.

Ad truncos Guineae *(Afz. ic. n. 6.)*; in Pulo Milu *(Kamphövener n. 12.)*; in silva crateri Kalavae proxima. *Didrichsen n. 51.*

Species notissima. Varietatem *gracilentam,* insignem pileo profunde infundibuliformi nitido stramineo, zonis pallidis, stipite gracillimo $1\frac{1}{2}$—2 unc. longo lucido pallide flavo — in insula Nikobar legit *Kamphövener.*

* P. COLUMBIENSIS Berk.

Ab omnibus praecedentibus, quantum e specimine minus bene conservato judicare licet, excepto *P. perula* n. 6, longe distat, sed e pororum morphosi hoc loco inserendus. De *P. calcigeno* Berk., nulli alii rite affini, videas supra.

C. Stirps P. DISCIPEDIS.

Pileus coriaceus, subreniformis, zonatus, stipite laterali (in 9—11 elongato), vulgo brevissimo, basi scutato-dilatato. Maxime analogi cum Polyp. *Petaloideis,* sed notis generis clare diversi. Etiam *P. sanguineus* maxime Discipedes refert, nec pororum structura et pileo non zonato differt. Praeter species infra recensendas h. l. *P. flabelliformis* Kl.! Epicr. p. 444, *P. modestus* Kunz! Epicr. l. c. *P. Menziesii* et *P. discipes* Berkel.! Cent. II. n. 170, *P. brachypus, ostreatus* aliique mihi haud satis cogniti, a Cel. Leveille propositi. Neque *P. rhipidium* Berk. Cent. II. n. 124 vidi, at analogia cum Pano stiptico ad hanc seriem ducit.

9. P. (DISCIPES) LUTEUS. Nees in Act. Nat. Cur. XIII. p. 16. t. 4. f. 2. Epicr. p. 445.

In insula Sambelang, copiose. *Didrichsen n. 16.*

Stipes, ut in omnibus vicinis, basi peltata adnatus, sursum compressus et dilatatus Pileus *nullo modo papyraceus* ut in *P. xanthopode,* a quo hic et sequens, optime monente *Jungh. Jav. p. 69*, essentialiter differunt pileo firmiori, tenui quidem, sed suberoso-coriaceo, rigido.

10. P. (Discip.) aefinis. Nees l. c. f. 1. Epicr. l. c. Jungh. Jav. f. 36.

In insula Nikobar copiose. *Didrichsen n. 14.*

Stipes exquisite lateralis, teres, nec sursum dilatatus, basi in orbem dilatatus, laevis, glaber, opacus (nec laccatus), linea recta transiens in pileum coriaceum, rigidum, reniformem, utrinque applanatum vel potius superne depressum, subtus convexum vix uncialem, ferrugineo-brunneum, opacum, azonum l. zonis paucis obscurioribus pictum; margine acuto, circumcirca adscendente, subtus definite sterili. Contextus floccosus albus, vix lineam crasssus. Pori brevissimi, vix $\frac{1}{3}$ lin. longi, minuti, regulares, obtusi, albi. Prior colore luteo, nitido reliquisque notis mox dignoscitur. Utriusque vero descriptiones, a Neesio datae, a meis speciminibus in variis recedunt.

* P. (Discipes) crenatus. Berk. in Ann. of Nat. Hist. X. p. 372.

Cum praecedentibus, a *Berkeleyo* optime descriptus, margine crenato, subtus sterili, et poris pallide brunneis mox distinctus.

11. P. (Discipes) sanguineus. Epicr. p. 444.

E Guinea, *Afzelius* (Ic. n. 4.); e multis locis regni Mexicani *Liebman;* e Costa Rica, *Örsted;* e Pulo Milu *Didrichs. n. 10,* Pulo Pinang *Didrichs. n. 27,* Hawaii *Didrichs. n. 52.*

Species notissima, ob pileum azonum et polito-laevigatum in hac stirpe recedens. Forma admodum variat; habemus specimina stipite centrali et sessilia.

Inter numerosas hujus formas prae ceteris memorabilis est *Hydnoidea,* hymenio in medio in dentes elongatos incisos prorsus »Raduli palmati« Berk. efflorescente. Cum insuper vidimus (Cfr. Elench. fung.) specimina eximie imbricata et prolifera, differentia *P. cristulae* Klotszch, Berk. Ann. Hist. Nat. III. p. 387 mihi valde dubia est. Si vero antonoma species, ad sequentem stirpem referatur.

12. P. (Discipes) languidus. Epicr. p. 442. P. monochrous. *Mont. Cent. II. n. 82.!*

In Guinea ad truncos. *Afzelius.*

Descriptionem plenam et optimam dedit *Montagne l. c.* Est in hac stirpe abnormis basi stipitis praemorsa, vix scutato-dilatata.

13. P. (Discip.) brunneolus. Berk.! Cent. I. n. 4. *P. murinus.* Lev.! Ann. Sc. Nat. 1844. II. p. 185. (contextu vario!)

Ad truncos Javae et specimina nostrae formae exacte respondentia

in meo exemplari Collectionis *Cumingianae* sub n. 1994 (a Berkeleyo non citato) adsunt.

Haec species varias quoad colorem subit varietates, ut e paucis individuis multas facile fingas species. In forma praesente: Pileus dimidiatus, subsessilis, coriaceus, reniformis, applanatus, 1—2 unc. latus, 1—2 lin. crassus, glabratus, concentrice sulcatus, vix zonatus, unicolor, dilute umbrinus, margine patente acutissimo regulari. Contextus admodum tenuis, floccosus; pileo fere concolor. Pori minuti, rotundi, obtusiusculi, stipati, 1 lin. longi, umbrino-cinnamomei, margine prominente a stipitis rudimento distincti. Nonnihil differt tam a Fungo Berkeleyano, quam Leveilleano, at vix specie. Cfr *P. Königii* B.

14. P. (Discipes) Didrichsenii, pileo coriaceo flexili cuneato-flabelliformi a basi radiato-rugoso alutaceo-pallescente, margine in stipitem brevem lateralem, basi scutato-dilatatum, attenuato, contextu albo, poris minutis obtusis.

Ad truncos in insula Borabora. *Didrichs. n. 14.*

Habitu accedit ad *P. affinem* (stipite elongato verticali!) reliquosque Indicos Pleuropodes, at tam contextu quam trama manifesta conspicue diversus. E basi orbiculari peltata surgit stipes exacte lateralis, at vix linea longior, laevis, pileo contiguus et similaris. Pileus tenuis, aridus, rigens, primo cuneatus, dein reniformis, uncialis, a basi radiato-rugosus, glabrellus, sed sub lente inodermeus, ligneo – l. alutaceo-pallescens. Margo acutus, patentissimus. Pori in stipitem haud decurrentes.

15. P. (Discipedes) unguicularis, pileo coriaceo tenui reniformi glaberrimo concentrice striato et a basi radiato-rugoso unicolori ochroleuco, postice porrecto stipitato, poris minutis pallidis confertis acutis, demum lacero-dentatis.

Ad truncos in regno Mexicano. *Liebman.*

Pauca adsunt specimina, sed species distinctissima, *Stereum striatum complicatumve* eximie referens, unciam vix attingens, lineam haud crassus. Margo acutus, in siccis incurvatus. Pori admodum tenues, mox lacerati; integros non vidi.

16. P. (Discipedes) pterygodes. Epicr. p. 445.

Ad ramos dejectos in Guinea. *Afzelius ic. n. 7.*

Haec species omnibus antecedentibus sine exceptione longe nobilior, latius expansa, *pileo tenuissimo papyraceo, P. xanthopodis* tenuiori, distinctissima. (*P. luteus* et *affines* non sunt membranacei!) Stipes vix ullus,

sed pileus omnino liber, postice tuberculo scutato-dilatato adnatus, 2—3 unc. latus, flabellari-expansus, postice depressus et margine lobato convexo-reflexus, subplicatus, glaberrimus, nitidus, (e schedulis inventoris castaneus, sed in speciminibus praesentibus) lutescens, zonis concentricis undulatis paulo saturatioribus, non vero discoloribus notatus. Substantia fere *P. papyraceorum*. Pori minimi, rotundi, integri, breves, in speciminibus visis griseo-pallidi, sed e schedulis auctoris in vivo lutescenti-cinnamomei.

Res summa attentione digna sunt mutationes characterum, quas Polyporei exsiccati subeunt. Non modo colores mutantur, sed etiam substantia. Sic plurimos Pleuropodes novos e Java ad vivum descripsit Cel. *Junghuhn*, omnes pileo subcarnoso; totidem circiter Cel. *Leveille*, at omnes coriaceos. Mente simul reputantes colores in statu vegeto et diutius siccato, facile vidimus, quam impossibile sit e solis descriptionibus eruere synonyma.

D. Stirps P. PROLIFICANTIS.

Pileus coriaceus, tenuis, plus minus prolificanti-multiplex, in stipitem indefinitum (subinde deficientem) plus minus protractus. In Epicrisi *P. prolificantem* tamquam novae stirpis typum, Merismoideis, praecipue *Stereorum*, eximie respondentem, proposui, cui accessere plurimae novae, praeter infra recensitas, v. c. *P. poecilus* Berk., in Ann. Hist. X., *P. lacerus* Jungh. Jav. n. 32, *P. flabellum* Mont. Cub. t. 15. f. 2., *P. plicatus* Blume, *P. Spitgerberi* Mont. Cent. II. n. 83., *P. Gaudichaudii* Lev. Voy. Bonit. t. 140. f. 2. (*P. convolutus* Zipp. potius Polyporus e *Lobatis.*) Quatenus vere diversae sint ulterius explorandum; primum vero sit vere affines recolligere, nam in praesente inter novarum specierum copiis absque affinitatis indicio nemo se expedire possit. Vellem sane omnes Mycologi attenderent novas species, tribu et stirpe haud definitis, describendo horum studium magis intricari, quam sublevari; non modo ipsas plantas iterum, sed etiam, quod gravius et saepe irritum sit, synonyma detegere cogimur.

17. P. PROLIFICANS. Epicr. p. 443. *P. xalappensis*. Berk.! Cent. III. n. 217. Spec. e Xalappa.

In truncis ad Jalappam regni Mexicani. *Scheide!* Communic. *Schlechtendahl.*

Summopere insignis, vix alii affinis. Pileus coriaceus, tenuissimus aut potius papyraceus, flabelliformis, 3 unc. transversim latus, sed magnitudine varius, longitudinaliter costatus, costis in marginem porrectis in lobos rotundatos, leviter et concolori-zonatos, unde margine quasi prolifer, griseus; in nostr. spec. superne glabratus et costae tantum albo-villosae; postice mar-

go productus est in stipitem lateralem difformem torulosum, nunc brevissimum, nunc valde elongatum, eodem vellere ac costae pilei, quae cum stipite contiguae sunt, obductus. Lobi marginales in scala diminuta pileos *P. elongati* referunt, et *Schizophyllum flabellare* in memoriam revocant. Contextus tenuissimus, albus. Pori tenelli, inaequales, mox labyrinthiformes, in dentes lacerati, fuscescentes. *P. xalappensis* Berk., e Mexico, absolute idem est, modo minus explicatus: specimina, quae sub hoc nomine e Carolina tuli a Rev. *Curtisio,* ad P. elongatum spectant.

18. P. Nilgheriensis. Mont.! Crypt. Nilg. in Ann. Sc. Nat. 1842. Juill. 146. Cent. III. p. 12

Ad truncos Americae centralis. *Lund.*

Haec species, ut omnes affines, valde protea est, at in statu perfecto formatus e pileis numerosis imbricatis concrescentibus postice in stipitem communem inaequalem, lignoso-induratum, demumque fuscescentem, nec stuppeo-mollem ut in praecedente. Substantia firmiori, rigida, poris minus laceris a proximis facile destinctus. Specimina e Sikkim a Cel. *Berkeley* recedunt pileo sessili, poris obtusis fuscis, at non distinguenda.

19. P. elongatus. Berk. in Lond. Journ. *P. flabelli* var. Mont. l. c. *P. foliaceus* Jungh.! *P. xalappensis* Curt.! in Sillem. Journ. 1850. p. 175.

Ad truncos e regno Mexicano. *Liebman.* Ceterum undique facile terrarum accepi: e Philippinis *Cum.!* Philipp. n. 2023, Java! Sikkim! Ceylon! Carolina! — Polyp. Curt. n. 216, 869 etc. etiam hujus loci.

Maxime proteus, at certe hujus gregis, mihi tamen propius ad *P. pergamenum* quam prolificantem accedere videtur. Pori pro vicinorum more dentato-laceri, vulgo lutescentes; sed in Curt. n. 869 fuscae. Incautus ex hac specie multas facile fingat.

P. pargamenus, floridanus et arcticus cum hac stirpe variis rationibus congruunt, sed ob pileum simplicem, omnino sessilem et saepe basi effusum, ex hac stirpe excludentur.

E. Stirps P. funalis.

Dimidiato-sessiles, strato intermedio hymenophoro coriaceo, superiori e fibris rudibus solutis imbricatis compacto. H. l. *P. mons veneris* Jungh. Jav. f. 33., *P. pelliculosus* Berk.! *P. trichomallus* Mont. Cent. VI. n. 65, at *P. holopleus* Cent. IV. n. 79 ad Spongiosos analogos referendus videtur, licet pileus sit zonatus.

20. P. funalis. Epicr. p. 459.

In Guinea ad truncos, *Afzelius ic. 3.*

Quamvis species hujus tribus ob mollitiem et habitum cum Spongiosis comparatae fuerint, ab eisdem clare differunt poris nullo modo cum fibris contiguis, sed e strato intermedio heterogeneo horizontali, poris opposito, morphosi omnino generis. Pileus lateralis, sessilis, non late adnatus, rotundus l. oblongus, pulvinatus, subtus concavus, 1—2 unc. latus, margine obtuso, siccitate incurvato. E maxima parte factus est e fibris rudibus, rigidis, $\frac{1}{2}$ unc. longis, ramosis, dense imbricatis et compactis, at inter se omnino liberis, ferrugineis. Stratum intermedium tenue, floccosum, horizontale, sordide pallidum, totum fere absorbitur in poros, primo integros quidem sed valde inaequales, pallidos, demum lacero-dentatos obscuriores.

21. P. (FUNALES) LEONINUS. Klotsch.! Epicr. p. 459.

Cum praecendente in Guinea, *Afzelius,* qui a priori simillimo diversam monet speciem.

Praecedenti maxime affinis, et vulgo major, dimidiato-adnatus; pileus basi effusa reflexus, fibroso-strigosus, fulvus; poris majoribus in dentes compressos omnino solutis, e purpureo ferrugineis.

F. Stirps P. STUPOSI. Epicr. p. 473.

Dimidiati, sessiles, pileo fibroso-lignescente l. stuppeo, azono. — Species l. c. e *generis* typo recedentes excludendae; nihilo tamen minus stirps specierum adeo dives, et heterogeneas colligens, ut olim necesse sit e contextus colore, ut mox infra *Coriaceorum,* in plures solvere.

* *Contextu colorato.* H. l. *P. proteus, P. latus* Berk.! *floccosus* Jungh. etc.

22. P. (STUPOSI) HELVOLUS. Fr. El. p. 490. — Epicr. p. 490 Trametes.

Ad truncos in Guinea. *Afzelius.* Ic. 14.

Fungus admodum spectabilis, nulli mihi cognito rite affinis, sed distinctis Polystictis una cum sequentibus coriaceis Epicr. (n. 10—14) ad hoc genus referendus. Pileus dimidiatus, sessilis, integer tamen et undique marginatus, plerumque imbricatus et caespitoso-concrescens, late expansus, haud admodum crassus et marginem versus acutissimum deflexum attenuatus, vulgo pulchre et grosse plicato-undulatus, postice verrucoso-nodulosus, undique tomento hirto densissimo molli erecto persistente helvolo-fulvo vestitus, absque omni sulcorum et zonarum vestigio. Contextus subtiliter fibrillosus, horizontalis, helvolo-fulvus. Pori primitus superficiali-foveolares, medii, conferti, dein 1—$1\frac{1}{2}$ lin. profundi, rotundi l. angulati, ore inaequali subdentato at non lacero, brunneofusci, intus vero glaucescentes, trama admodum manifesta.

23. P. (STUPOSI) SULFURATUS, pileis imbricato-concrescentibus suberoso-

coriaceis rigidis azonis fibroso-radiatis luteis, intus radiato-fibrosis flavis, poris curtis inaequalibus acutis seriatis luteis.

Ad truncos in regno Mexicano v. c. ad Zucuapa, Tapinapa. *Liebman.*

Accedit ad *P. radiatum,* sed rigidior, sulfureo-luteus et pori plane diversi. Pilei dimidiati, sessiles, imbricato et seriatim concrescentes, unciam lati, postice gibbosi et subtus etiam marginati, sordide lutei, fibris subinnatis obscurioribus radiosis virgati. Margo tenuis, acutus, nigrescens. Caro dura, fibroso-radiata, sulfurea. Pori admodum curti, versus marginem obsoleti et foveolares, dein acuti, *plus minus seriato-radiantes,* saepe in lacunas lineares hiantes. Species pulchra et eximia.

24. P. (Stuposi) strumosus. Epicr. p. 462.

Ad truncos in Guinea. *Afzelius.*

Pileus dimidiatus, sessilis, reniformis l. semicircularis, 2—3 unc. latus, stuposo-suberosus, superne leviter convexus, postice gibbus, inaequabilis, saepe nodulosus, azonus (sed passim sulcis valde obsoletis notatus) primo griseo-pruinatus?, dein glabratus e fuligineo pallidus. Margo patens, acutus, nigrescens. Contextus floccoso-fibrillosus, affinium crassior et mollior, subelasticus, griseus l. potius lurido-lutescens, (siccitate? olivascens) postice leviter zonatus. Pori parvi, rotundi, curti, vix ½ lin. profundi, trama obsoleta, ore regulari obtuso; primo distantes punctiformes superficiales in fundo grisei, adultiores stipati, intus fusci, ore griseo l. triti nigricantes. Species valde distincta, sed ob colores squalidos et carnis mutabilem difficilius agnoscenda. Ex habitu cum priori pertineret ad *P. adustos,* sed pori omnino Polysticti.

25. P. (stuposi) sordidus Berk.! pileo stuposo-coriaceo plano e velutino glabrato inaequabili ex helvolo-isabellino canescente, marginem versus obsolete sulcato, contextu helvolo, poris mediis subrotundis inaequalibus e dilute cinnamomeo demum rore albido canescentibus.

Ad S. Joce in Costa Rica. *Örsted.*

Specimen e loco citato valde incompletum, quare e Mycophylacio Berkeleyano describo speciem squalidam primoque obtutu ignobilem, at variis rationibus insignem, P. squalenti affinem. Forma valde irregularis, vulgo protracta (i. e. transversim multiplo latior et lateraliter adnata), at variat late resupinato-effusa. Superficies omnino azona, in statu primario villosovelutina sordide fulvella, adulta vero canescens, inaequabilis, versus marginem sulcis obsoletis et irregularibus notatus; et in spec. Berk. (e statione

suffocata?) e maxima parte poris, nunc contiguis, nunc sparsis, obsitus; hi pori e tomento pilei canescente quasi formati, demum fuscescunt. Contextus tenuis, floccoso-fibrillosus, helvolo-ferrugineus, poris angustior. Pori nudo oculo conspicui, stipati, vix lineam profundi, trama contextu concolori manifesta distincti, primo nudi, dein vero obscuriores, *ore alboirrorato.* — Primo obtutu affinitatem cum *Polyp. gilvo* odoravi, sed pororum morphosis et trama hujus stirpis.

26. P. (Stuposi) nuceus, pileo suberoso tenui molliusculo impolito glabro, sulco uno alterove concentrico vage exarato, ex umbrino canescente, margine acuto nigrescente, contextu umbrino-sordido, poris tenellis inaequalibus griseo-fuscis, immixtis lacunis majoribus.

Ad truncos putridos in Costa Rica. *Örsted.*

Praecedentibus variis notis accedit, sed color et crescendi modus seriato-elongatus *Lenzitem abietinam* referunt. Pileus suberoso-coriaceus, ceteris mollior et fragilis!, plano-convexus, unciam latus, non villosus (nisi juvenilis?), sed superficies inaequabilis, impolita et opaca, sulcis paucis at accidentalibus transversalibus notatus, subtus concavus. Contextus 2 lin. crassus, sordide umbrinus. Pori ultra lineam longi, vulgo minuti, sed immixtae sunt lacunae triplo majores rotundae l. oblongae, siccitate forte ortae, dissepimenta enim tenella, in vivo forsan mollia sunt, licet trama adsit manifesta!

* P. venustus. Berk.! Cent. I. n. 42.

Sequentibus affinis species, et fere concolor, at pileus magis canescens et floccosus — a vicinis conspicue differt pororum umbrinorum morphosi. Primitus (et versus marginem) venoso-radiantes, dein profundiores dentato-laceri, prioris multo firmiores, *ad latera* leviter glaucopruinosi.

27, 28. P. floridanus. Berk. in Ann. Nat. Hist. X. p. 376.

Sub hoc nomine duae nobis junctae videntur species, inter se maxime affines, magis tamen distinctae, quam *P. elongatus* et *pargamenus*, cum quibus praebent analogiam manifestam. Utramque hinc in ulterius examen proponam:

a. *P. (? Prolific.) Floridanus*, imbricato-multiplex, pileis membranaceo-coriaceis flabelliformibus radiato-fibrosis glabratis discolori-zonatis canescentibus, zonis margineque acutissimo lacero fuscobadiis, contextu fusco, poris e punctiformi lineari-elongatis integris griseo-fuscis.

Haec definitio facta ad specimen primarium *Herb. Berk.*, vegetatione,

pileo tenuiori et fibroso-radiato *P. prolificantibus* (praecipue *P. nilgheriensi*) accedens. Descr. vero l. c., ad specimen in *Mus. Britannico* facta, conspicue differt pileis pubescentibus et contextu gilvo-badio.

b. *P. (Stupos.) Oniscus,* effuso-reflexus, seriatim concrescens, pileo reflexo coriaceo-rigido inaequabili pruinato-velutino azono cano-griseo opaco, margine acuto integro, contextu e albo pallidove fusco, poris subrotundis inaequalibus cinereo-fuscis. *P. floridanus* e Santee Rivier, non typicus. Berk. herb.

Ad truncos in regno Mexicano. *Högberg.* E Carolina *Ravenal!* variisque dissitis regionibus copiose adest.

Videtur inter species maxime dispersas et mutabiles, quare meam jam ante decem annos factam descriptionem hoc loco inseram. Pilei coriacei, rigidi, imbricati, varie concrescentes, nunc plani, nunc valde declives, unciam et ultra lati, concrescendo transversim latiores, canoflocculosi, opaci, unicolores, versus marginem vage et leviter sulcati, ceterum inaequabiles et a basi versus marginem saepe radiato-rugosi. Variat ex maxima parte resupinatus, effusus, margine brevissimo reflexo. Contextus tenuis, manifeste fibrillosus, ut in P. corrugi, vulgo pallide fuscus, interdum obscurior, sed variat etiam omnino albus! Pori contextui manifeste oppositi, lineam vix longi et marginem versus decrescentes (punctiformes tantum), nudo oculo conspicui, valde inaequales, at non lacerati, fusci.

29. P. (Stuposi) Ravenalii Berk. et Fr. pileo rigente resupinato-effuso, superne margine brevissime reflexo villoso azono canescente, poris tenellis inaequalibus acutis, demum elongatis, vulgo obliquis latere hiantibus, griseofuscis.

In Carolina australi *Ravenal.* Miserunt *Curtis* et *Tuckerman.*

Saepe omnino resupinatus, sed in speciminibus perfectis margo superior ad 2—3 lin. reflexus, pro more vage et obsolete concentrice sulcatus. Substantia tenuis, papyracea, rigida, strato intermedio tenuissimo fuscescente, sed ob poros, praecipue obliquos, elongatos pileus crassiusculus et firmus. Pori in statu typico rotundi et integri raro occurrunt, vulgo e situ obliquo imbricati, elongati et lateraliter toti hiantes. Formam *P. Onisci* simillimam dedit Curtis. A *P. Lindbladii* (Svecico) Berk., cum quo ab Auctore ipso jungitur, certe diversus est.

* Ex hac regione *P. scalaris* et *P. umbrinus* Fung. Nat. p. 12, 13.

30. P. (Stuposi) corrugis, pileo coriaceo radiato-rugoso ferrugineo-umbrino, versus marginem albidum fibroso, demum glabrato nigrescente,

contextu fibroso umbrino, poris minutis rotundis brevissimis albis, trama umbrina.

Ad truncos Indiae occidentalis. *Benzon.*

Minima hujus gregis species, postice umbonato-adnata, habitu Stereorum minorum. Pileus coriaceus, utrinque planus, l. superne declivis, a basi radiato-rugosus, 1 unc. et ultra. Contextus tenuis, haud rigens. Pilei minuti, subrotundi, aequales, obtusi, $\frac{1}{3}$ lin. tantum longi, extus intusque albidi, sed dissecti monstrant tramam admodum manifestam umbrinam.

Obs. Nimis deduceret rationem reddere omnium specierum hoc loco inserendarum. Afferam modo duas tam propter synonyma, quam sedem in hac stirpe minus conspicuam. 1) *P. lilacinogilvus* Berk.! in Ann. Nat. Hist. III. p. 324, Auctore jam rite observante, est status junior *P. Feei* Epicr., unde specimina longe minora, pileusque minus politus. Colore dilute carneo, in adulto pileo sordide canescente, facile dignoscitur. Huic magis, quam e colore fingeres, affinis est 2) *P. strigatus* Berk.! Cent. II. n. 174, qui idem omnino ac *P. verruculosus* Epicr., in terris calidioribus haud rarus. An hic vero verus *P. verruculosus* Mey., ut e definitione haud recedente finxi, non satis liquet. Varias notas habet cum *P. corrugi* communes, at longe major, rigidior, sublignosus. In *P. verruculoso* insuper pileus junior laevigatus est, per aetatem, praecipue postice verruculosus, strigisque adnatis radiantibus inaequabilis. Pori quam maxime diverso colore tantum recedunt a poris *P. Feei.*

** *Contextu albo.*

28. P. (Stuposi) hirtellus, pileo stuppeo-coriaceo effuso-reflexo, pilis subtilibus erectis strigosis hirtulo, primitus azono, demum versus marginem obsolete et concolori-sulcato, contextu albido, poris mediis rotundis angulatisque helvolo-pallidis, demum fuscescentibus.

Ad truncos in regno Mexicano. *Liebman.*

Primo obtutu *P. hirsuto* simillimus, sed azonus; mollior, porisque sequentibus propius accedens. Pileus segmentoideus, transversim 2—3 unc. latus, saepe undulatus, e tomento denso hirtello fulvescens. Variat totus peltato-effusus, orbicularis, at a matrice facile secedens; vulgo vero plus minus reflexus, margine acuto. Contextus mollis, albus. Pori medii, primitus rotundati, obtusi; dein conferti, acuti, inaequales, at non lacerati, ligneo-helvoli; demum cinnamomei, subfuscescentes. *P. villosus* Epicr., Mont. Ann. Sc. Nat. 1847. 1 p. 170, multo tenuior rigidior, in fuligineum vergens. Minime Hexagona est.

* P. (Stuposi) molliusculus Berk. Cent. II. n. 126. proximis medius, adhuc mollior, stuppeus; pileus isabellino-alutaceus, e fibrillis fasciculatis radiantibus adglutinatis quasi concentrice squamosus.

32. P. (Stuposi) fibula. Epicr. p. 475.

Hunc *Suecicum* ex America boreali misit *Schweiniz,* et ad affines illustrandos h. l. insero.

Typus hujus gregis; substantia stuposa, crassior, mollis, coriacea tamen. Color albidus in alutaceum vergens; contextus floccosus, niveus. Superficies pilei prorsus azona, passim vero rugoso-radiata, velutino-hirtula, foveolato-fasciculata. Pori conspicui, at sequentium minores, primo subrotundi, dein lin. et ultra profundi, lacerato-inaequales, at non in dentes lacerati, lutescentes. Forma maxime varia, typice sessilis dimidiata, sed variat integra, pileo nunc dorso nunc infra adnata. Specimina hujus minora ex Ohio adsunt in Mus. Berkel. pro varietate *P. Sullivantii* sumta. *P. albidus* intus fibrosus!, durus, conglobatus, ceterum valde similis, sed distinctissimus.

33. P. (Stuposi) expansus. Epicr. p. 475.

Ad ramos crassiores in Guinea. *Afzelius. Ic. 12.*

Aptiorem huic speciei nescio locum, licet tam a praecedentibus quam sequentibus diversissimus sit, forte Trametes; pori medii enim brevissimi ($\frac{1}{4}$ lin. vix longi) foveolares, semper eximie regulares, pentagoni, obtusi, numquam lacerati, e pallido ligneo-fuscescentes. E loco in ramis dorso adnatus, pileo coriaceo-lento undique expanso, 2—3 unc. lato, zonis et sulcis absolute destituto, sordide albido, opaco, tomento tenui adpresso laevigato, ut in Trametibus, vestitus. Margo acutus, subtus definite sterilis. Caro ligneo-pallida, cum poris haud lineam crassa. Affinem novi nullam; pori habitu et forma referunt *P. tostum* et *brunneo-album.* At descr. *P. nivei* Jungh. Jav. p. 48 in plurimis congruit, pori vero minutissimi et pileus dicitur carnoso-lentus (stuppeo-mollis?).

34. P. (Stuposi) biformis. Epicr. p. 475. *P. Caroliniensis.* Berk.! Cent. III. n. 214. Curt.! l. c. n. 95.

Ad truncos montis Orizabae, 10,000′ altit. *Liebman.* Multas formas e Carolina misit *Curtis.*

Pervenimus nunc ad species maxime mutabiles, quarum formae in America boreali paene infinitae. Haec, ad *P. fibulam* propius accedens, a sequente bene definita. Pileus coriaceo-mollis, stuppeus, (at demum etiam rigens) dimidiato-sessilis, basi plus minus effusus, nunc seriatim concrescens, nunc scalari-imbricatus, admodum multiformis, primo villosus (interdum ad-

presse strigulosus) demum glabrescens et subinde sulcis spuriis raris notatus, numquam vere zonatus, sed unicolor, albidus l. alutaceus. Margo incurvatur. Contextus fibrillosus (junior spongiosus?), albus. Pori conferti, primo foveolares aperti majusculi, mox valde inaequales, laminoso-laceri, demumque in dentes omnino soluti. Duplici quoad poros occurrit forma; in primaria siccitate melino-lutescentes; alterius fuscescentes. Hujus forma dentibus rudibus, fere Irpicis, vidi in Mus. Berk. — *P. indecorus* Jungh. Jav. p. 61 substantia suberoso-dura differt, *P. venulosus* l. c. p. 57 insuper pileo strigoso-venuloso.

35. P. (Stuposo-Coriac.) pargamenus. Epicr. p. 480. *P. laceratus.* Curt.! in Sill. Journ.

Videtur per Americam borealem vulgatissima species, undique copiosissime recepta; in Mexico ad Mirador, Chinantla, Orizaba, Huatasco etc. abunde. *Liebman.*

Vulgo in collectionibus cum praecedente mixtus, at clare diversus; pileo coriaceo tenuiori, latius expanso, dense concentrice sulcato subzonato (ut strictius facile ad Coriaceos referatur), sicco admodum rigido *pargameno,* poris multo minoribus et in dentes tenuissimos laceratis. Re ipsa *P. elongato* affinior est, qui vero basi in stipitem subattenuatus pileoque a basi vulgo radiante rugosus, nec sulcato-zonatus. Ceterum *P. pargamenus* adeo variat, ut primo obtutu plures confusas fingas species. Pori, uti prioris, vulgo melino-lutescentes, sed etiam fuscescentes. *Curt. 869* inter hunc et elongatum mediam sistit rationem. Forma optime explicata obvata l. reniformis simpliciter sessilis; at aliae effuso-reflexae (Curt. n. 1447, 119) et per has serie contigua abit in *P. chartaceum* Berk.! et Curt.! qui forma tenuior, ramealis, late expansa, margine tenuissimo leviter reflexo. Inter innumeros lusus (dimidia speciminum Polypori pars in Coll. Liebmanni ad hanc speciem spectant) maxime insignis, pileo late expanso utrinque hymenio tecto, paginae vero superioris jam primitus abit in dentes discretos stipatos oblique imbricatos incisos, demum secedentes.

* P. laceratus, Berk.! in Ann. Nat. Hist. III. p. 392 a praecedente meo sensu abunde diversus et vix hujus stirpis. Pileus coriaceus, dense concentrice sulcatus, primo obtutu quidem glaber, sed sub lente fibris longis adpressis virgatus, isabellino-alutaceus, *intus concolor* nec albus. Margo definitus?, incurvus. Pororum fabrica peculiaris et singularem *P. calcigenum* in memoriam revocat. Sunt praeformati? basi trama manifesta distincti, demum in dentes fuscos lacerati.

36. P. (stuposi) flavus. Jungh. Jav. p. 16, 18, f. 26, optime.

In Pulo Milu. *Didrichs. n. 18.*

Manifeste e priorum stirpe, a formis sessilibus abit in membranaceas totas effusas, crustaceo-adnatas, ambitu sterili brevi radiante. In his hymenium nunc irregulariter porosum l. sinuato-dentatum, nunc primitus in dentes discretos compressos incisos protuberat; utramque hanc formam in oppositis paginis prioris videre licuit.

G. Stirps Coriacea.

Pileus dimidiatus, sessilis, coriaceus, zonatus, contextu tenaci flocсoso. Stirps maxime naturalis et vastissima, substantia tenaci, elastica etc. a priori facile distincta.

a. Subtribus *P. versicoloris,* contextu albo.

37. P. (Coriac.) hirsutus v. *Brasiliensis.* Epicr. p. 447.

In regno Mexicano ad Mirador. *Liebman.* (Eadem forma e Sikkim. *Berkel.!*)

A vulgata forma facile distingui posset pileo tenuiori coriaceo, villo tenui molli, poris demum tenuibus acutis (primitus vero punctiformibus obtusissimis), at necesse est servare modum in speciebus affinibus distinguendis, ne typorum manifestorum cognitio pereat. *Specierum* modo *numerus auctus* per se nullum sistit scientiae progressum!

38. P. (Coriac.) zonatus. Epicr. p. 478.

Undique terrarum; specimina monstrosa maxima suberosa turbinato-pulvinata concentrice stratoso-sulcata et rimosa, quasi perennantia (Cfr *Jungh. p. 59)* e Mexico retulit *Högberg.*

Omnium facile maxime proteus; forma *contextu alutaceo-pallido* l. c. sistit *P. vittatum* Berk.! Cent. I. n. 72, facile distinguendum.

39. P. (coriac.) versicolor. Epicr. p. 478.

Mexico ad Mirador, Europaeo et Himalayensi! exacte respondens. *Liebman.*

Singulare nullum adesse vestigium in his collectionibus ex America boreali nobilissimarum specierum Brasiliensium (*P. detonsi, pinsiti, limbati, Lundii* Epicr. p. 479, qui hujus gregis). Ex his *P. pinsitum* ex Amer. boreali dedit *Klotzsch.*

40. P. (Coriac.) decipiens. Schwein.! Syn. Am. n. 385.

In Mexico; et varietatem *ramealem* e Carolina misit *Curtis n. 1718.*

Priori affinis, indeque a recentioribus praetervisus, at clare diversus *pi-*

lis zonarum marginem versus porrectis, pileo pallido, zonis aliis angustioribus, depressis, glabratis, angustioribus. In forma *rameali* pusilla, pileo tenuiori, postice adnato albido, uno alterove sulco notato, subtus concavo, poris minutis confertis subrotundis acutis lutescentibus.

41. P. (Coriac.) barbatulus, pileo effuso-reflexo coriaceo tenui zonato strigoso-hirsuto albo-canescente, contextu floccoso albo, poris majusculis angulatis inaequalibus acutis, demum dentatis ligneo-fuscis.

Ad ramos et truncos mortuos Juniperi in Carolina australi. *Curtis*

Habitus *Hexagonae sericeae*, pro qua accepi, at bene distinctus, potius cum *P. arctico* l. *abietino*, et ex indumento cum priori, comparandus. Nunc minor ($\frac{1}{2}$—1 unc.), conchato-reflexus, nunc late expansus, totus resupinatus, tenuis, flexilis, unicolor. Pilis superficies vestitur pulcherrimis, elongatis, strigosis, versus marginem radiato-porrectis, non tamen decumbentibus, interdum pulchre fasciculatis, albis. Pori majusculi, primitus foveolares, rotundi, aperti; dein angulati, inaequales, interdum lamellosi, dentati, at non laceri, saepissime oblique et latere hiantes, protracti.

42. P. (Coriac.) Cilicioides, pileo coriaceo-membranaceo applanato subzonato, fibris rudibus versus marginem decumbenti-porrectis undique setoso-strigoso e fusco canescente, strato intermedio tenuissimo albo, poris daedaleo-sinuosis acutis pallide ligneo-fuscis.

Ad truncos in Archipelago indico et h. l. *Cuming. Philipp. n. 2026* in meo exempl.

Desuper inspectus mox *Thelephoram laciniatum* in memoriam revocat (*margo pariter fibroso-strigosus*) et a *P. versatili* Berkel.! plane diversus apparet. Pileus admodum tenuis, tenax, sed mollis et flaccidus flabelliformis, basi lata, sed angustata sessilis, $1\frac{1}{2}$ unc. longus latusque, indumento setoso-fibroso fere *Tram. Hydnoidis*, sed decumbente. Statum intermedium, poris oppositum, manifeste longitudinaliter fibrillosum, quamquam tenuissimum, album. Hymenium, lin. et ultra crassum, fere Daedaleae, sinulis elongatis, flexuosis, sed intermixtis poris majusculis subrotundis, praecipue versus marginem, omnibus acie acutis (non vero in dentes solutis), extus fuscescenti-ligneum, intus vero album.

* P. vellereus Berk.! in Hook. Lond. Journ. I. p. 454. n. 19, praecedenti proxime affinis est, sed pileus reniformis albidus, fibrae paginae superioris tenues, sericeo-adpressae (lente modo observandae), margo integer, pori curti (fere foveolares) angulati nec sinuosi.

43. P. umbonatus, pileo coriaceo tenui flexili postice subporrecto pendulo

villoso zonato unicolori albido-griseo, poris magnis curtis angulatis acutis dentatis fusco-umbrinis, demum expallentibus.

Ad truncos prope Palinga (? an locorum nomina recte legerim dubium est), regni Mexicani. *Liebman.*

Pororum forma et fabrica *P. pinsiti*, sed colores plene *P. arctici*, pro cujus varietate habui. Inter *P. arcticum* et *barbatulum* medius, crescendi modo peculiaris. Pileus fere membranaceus, contextu parco albo, flaccidus (non rigescens, ut *P. pargamenus* et vicini), proprie integer, sed ex umbone postico productus lateralis apparet, reni- l. flabelliformis, vetustior undulatus lobatusve, 1—2 unc. latus, zonis confertis sulcatus, undique hirsutus et albo-canus. Pori majusculi admodum curti, primo rotundi obtusi, mox vero ore acuto inaequali dentati, passim concentrice dispositi dissepimentisque transversim laceratis, ut subinde *P. abietinus, Cyclomycetem* refert.

44. P. CYPHELLOIDES, minimus, per corticem erumpens, pileo coriaceo tenui semicampanulato pendulo sericeo-laevigato zonatulo canescente, poris minutis inaequalibus albopallescentibus dentatis.

In Mexico ad Huatano. *Liebman.*

Quod *Polyp. cupulaeformis* inter Fomites, haec species est inter Coriaceos et ob substantiam tenuem Cyphellam maxime refert. Pileus 3—4 lin. latus, deflexus, margines versus inflexus, pendulus, sed latus interius fissum. Dolemus specimina admodum parca adesse.

b. Subtrib. *P. scortei,* contextu pallido.

H. l., praeter alios, *P. rubidus* Berk.! Cent. II. n. 172, (eximius! suae subtribus) *P. zonalis* Berk.! Ann. Nat. Hist. III. *P. myrrhinus* Kickx, *P. cingulatus* Epicr. p. 476, *P. Beyrichii* Epicr. p. 491, *P. psilodermus* Mont. De *P. vittato* et *lacerato* Berk. cfr. supra.

45. P. (CORIAC.) CASCUS, pileo suberoso-coriaceo sublignoso dense zonato tomentoso, demum glabrato e ferrugineo fuscescente, contextu ligneo-pallido, poris rotundatis inaequalibus obtusis ligneo-cinnamomeis.

Ad San Joce in Costa Rica. *Örsted.*

P. torrido proximus, sed habitu et contextu pallido omnino distinctus. Utpote incrustans et cum corporibus vicinis concrescens forma mutabilis est. Dignoscitur pileo tenui quidem, sed duro et rigido, utrinque plano sulcis zonisque densis, primo tomento denso dilute ferrugineo vestitis, at mox secedente et tum *pileus fuscus et nigrescens* evadit, quod huic peculiare. Latitudo pilei 2 unc. et ultra, contextus lineam haud crassus, pori

vero 2 lin. profundi, mediocres et hymenio, ut saepe fit, colliculoso l. inaequabili elongati et sinuosi. Fungus videtur perennans et annosus, at numquam stratosus.

46. P. (Coriaceus) scorteus, pileo coriaceo utrinque applanato concentrice sulcato zonatoque villoso-scruposo aerugineo-griseo, contextu tenuissimo alutaceo-ligneo, poris mediis subrotundo-angulatis obtusis dilute helvolo-cinnamomeis.

Ad truncos in Pulo-Milu. *Didrichsen n. 24.*

Maxima et latissima species in tribu Coriaceorum, media inter *Versicolores* et *lutescentes.* Pileus coriaceus, rigidus, utrinque eximie applanatus, dimidiatus, secus totum diametrum (ad spithamaeam latitudinem) adnatus, 4 unc. usque latus. Superficies zonis sulcisque concentricis variegata, villo intricato vestita, colore peculiari griseo in aerugineum vergente. Margo acutissimus, strictus. Pori majusculi, facile conspicui subrotundi l. leviter angulati, obtusi, integerrimi, maximam partem substantiae sistentes (2 lin. longi), substantiae tenui fibrillosae pilei oppositi, trama manifesta obscuriori.

47. P. (Coriac.) cingulatus. Epicr. p. 476.

In Indiis; tam orientali, tam occidentali pileo hirto zonisque glabratis rufescentibus facile distinctus.

? *P. nigrocinctus* Berk. Ann. Nat. Hist. X affinis dicitur, at minor, margine brunneo, villo strigoso cinereo.

c. Subtrib. *P. lutescentis,* contextu fulvoferrugineo. Cfr. obs. ad calcem et *P. galbanatum* Berk. Ann. Nat. Hist. X p. 377 cum *P. lutescente).*

48. P. (Coriac.) torridus. Epicr. p. 490.

Ad truncos in Guinea, *Afzelius ic. 17.*

Fungus valde polymorphus, irregularis e varia aetate et statione admodum mutabilis, facie rudi et torrida. Pileus suberoso-coriaceus, at ex maxima parte e poris profundis compactus (contextus fibrillosus fulvellus enim admodum tenuis), postice gibbus, marginem acutum versus attenuatus, profunde concentrice sulcatus et inaequabilis, colore sordide fuscescente-cinnamomeo. Junior contractus, lobatus plicatusque, magis convexus, velutinus, helvolus; adultus planus, 4 unc. et transversim 6 unc. latus, glabrescens et fuscescens. Subtus quoque nodulosus et inaequabilis est, hinc pori admodum e situ varii (rotundi, elongati, curvuli) 2—3 lin. profundi, ore obtuso sed inaequabili, lutescenti-cinnamomei, trama manifesta, interdum quasi stratosi.

49. P. (Coriac.) cyclodes, pileo coriaceo subflaccido dense concentrice sulcato villoso ferrugineo unicolori, contextu concolori, poris mediis rotundis confertis fulvis, immixtis elongatis rectis. Var. *homoporus*, pileo obsolete zonato glabrato, margine subtus sterili, poris majoribus subacutis angulatis, omnibus conformibus.

Ad truncos ins. S. Jan Indiae occidentalis — var. ad S. Joce in Costa Rica. Utrumque legit *Örsted.*

Pileus tenuis, utrinque applanatus, nunc orbicularis integer, dorso adnatus, nunc dimidiatus reniformis, sulcis densis concentricis concoloribus zonatus, *demum expallens*, vix lineam crassus. margine acuto. Contextus mollis concolor. Pori obtusiusculi, integerrimi, trama manifesta, singulari modo in lirellas elongatas, semper rectas dehiscentes, — var. *homopora* omnino distincta est; sed inter tot affines praestat jungere!

50. P. (Coriac.) lanatus. Epicr. p. 490.

In Guinea. *Afzelius ic. 15.* Ad Natal. *Wahlberg.* In Java circa Bataviam *Didrichsen n. 26* et in ins. Nikobar *Didrichs. n. 17.*

Eximius, pulcher. Pileus coriaceus, mollis, junior flexilis, adultus rigens, dimidiatus, oblique adnatus, saepe imbricatus l. plures lateraliter concrescentes, semicirculares, superne vulgo depressus, 3 unc. circiter latus, undique tomento denso intertexto mollissimo helvolo vestitus, zonis numerosis concentricis profunde exaratus. Margo patens acutus. Stratum intermedium admodum tenue, fibrillosum, fulvum. Pori medii admodum regulares, rotundi, vulgo obtusi, primitus subdistantes, lineam fere longi helvolo-ochracei. Cum hunc, *P. cingulatum, P. crocatum* et plurimas in terris calidioribus vulgatas et late dispersas species apud Auctores recentiores non indicatas vidimus, non dubitamus easdem sub recentioribus venditari nominibus, quae odoro quidem, at neglectis tribubus sine speciminibus citare non ansus sum; ut determineutur, meas priscas species plenius descripsi.

51. P. (Coriac.) occidentalis. Klotzsch. Epicr. p. 491.

In Antillis *Benzon,* et Brasilia.

Praecedenti affinis, sed minus spectabilis, rigidior, pallidior (*praecipue pori ligneopallentes*): pileus haud ita profunde exaratus et breviter tomentosus. Pori, qui in juniori eximie regulares, distantes, obtusissimi, ex aetate et situ vario maxime mutantur, tenuiores et conferti, immo acuti, inaequales. — In *collectione Berkeleyi* vidimus formam »*rigidam, e Neu Orleans*» totam resupinato-effusam, late expansam, quam prioris sistere anamorphosin nulli dubitamus, cum *P. (cyclodis v.) daedaloidi* Berk., *P. crocati v. byrsina,*

P. caperati v. resup. e. s. p. comparandam. — *P. homalopilus* Mont. Cub. p. 423, mihi non obvius, »pileo scabro rubro-fusco, poris tenuissimis, demum fuliginosis» diversus apparet, *P. spadiceus* Jungh. Jav. f. 30 et *P. asper* l. c. f. 31 manifeste differunt ille hymenio spadiceo, hic pileo strigoso-aspero castaneo, hymenio cervino-murino.

52. P. (CORIAC.) CROCATUS. Epicr. p. 477.

Ad Mirador in regno Mexicano. *Liebman.*

Pileus coriaceus, mollis, utrinque applanatus et aequaliter crassus (1—2 lin.) reniformi-dilatatus, varie confluens, plures uncias transversim latus, profunde sulcato-zonatus, sed unicolor, glabratus, impolitus, fulvo-ferrugineus, margine concolori tumidulo, at vix obtuso, subtus sterili pallidiori. Contextus floccoso-fibrillosus, concolor. Pori minimi, nudo oculo haud conspicui, aequales, obtusi, fulvo-cinnamomei.

* P. CROCATUS * *byrsinus,* Mont. Cub. p. 391. t. 15. f. 3.

Ad truncos prostratos in monte Aguacate, Costa Rica. *Örsted.*

Est praecedentis varietas resupinata, longissime effusa, confluens, flexilis et tactu mollissima, margine tantum breviter reflexo concentrice sulcato, ob pileos plures confluentes lobato, ferrugineo. Pagina sterilis (ad plures pedes passim) truncis applanata, sed integra corii instar solubilis, glabrato-laevigata, azona, helvolo-ferruginea. Substantia admodum tenuis, papyracea, cum poris vix lineam crassa. Pori omnino *P. crocati* veri.

* P. (CORIACEI) DERMATODES. Leveill.! Voy. Bon. p. 180. t. 138.

Praecedenti statura, contextu et pileo tenui coriaceo similis, sed magnopere diversus superficie flocculosa sordide helvola obsolete zonata, margine lacero, praecipue vero poris magnis foveolaribus tantum (fere superficialibus!) pentagonis, illis *P. expansi* et *barbatuli* similibus. Contextus fibrillosus, cum poris vix ultra $\frac{1}{2}$ lin. crassus, pileo fere concolor. — *P. zeilanicus* Berk.! in Ann. Hist. Nat. X. p. 377, dignoscitur »pileo lineis plicaeformibus fasciculato-fibrosis exasperato gilvo-cervino, poris majusculis tenuibus dentatis elongatisque,» habituque *Hexag. sericeae.*

53. P. (CORIAC.) COMATUS, umbonato-sessilis, pileo coriaceo tenui flabelliformi utrinque applanato umbrino, setis fibrosis antrorsum decumbentibus zonato, intus fibrilloso ferrugineo, poris minutis rotundis ligneo-pallidis, intus canescentibus.

Ad San Joce, Costa Rica ad truncos. *Örsted.*

Species magnifica, a praecedentibus diversissima, tenuissima hujus gregis,

ut ad Membranaceos facile referatur; *P. caperato* vero adeo similis, ut pro eodem primo obtutu habuerim; sed *contextus papyro fere tenuior, ferrugineus.* Pileus umbonato-sessilis, hinc integer, sed margine postico brevissimo tenuissimo inflexo sterili, antice porrectus et expansus in formam flabelli obovatusve, 3 unc. et ultra longus, a basi concentrice zonatus, at non sulcatus; zonae confertae, obscuriores, umbrino-nigrae oriuntur e setis fibrosis concentrice dispositis antrorsum decumbentibus, apice adscendentibus; versus basin vero setae demum detersae; sed ex illarum basi pileus zonatus persistit. Pori ultra lineam longi, conferti, dissepimentis tenuibus, trama manifesta; reliqua ut supra. Ob affinitatem *P. scytini* Berk. in Ann. Hist. Nat. III. p. 376 (haec species in meo exempl. Coll. Cuming. deest) cum *P. caperato,* cum illo comparandus, qui vero colore pilei pallide badio-fusco spongioso-tomentoso conspicue differt.

* *P. Licnoides* Mont. Cent. II. n. 114.

Minima hujus stirpis proles, affinis *P. tabacino,* ad sq. stirpem transiens. *P. meandricus* Mont. Cent. IV mihi prorsus dubius.

d. Subtr. *P. caperati,* contextu fusco, vulgo tenui submembranaceo, sed in *P. captioso* Mont. Ann. Sc. Nat. 1847. I. p. 170 suberoso-coriaceus.

54. P. (? Coriac.) versatilis. Berk.! in Hook. Lond. Journ. I. p. 150. Leveill. Voy. Bon. p. 182 t. 138. f. 1.

In Insul. Philippinis! et America boreali!

Fungus quoad genus ambiguus; in speciminibus nostris hymenium fere lamellosum, radians (lamellis tenuibus, 2 lin. latis, acie repandis), postice poroso-anastomans, ut Lenzitem potius fingerem. In *L. sepiaria, betulina* hymenium aeque poroso-anastomosans vidimus. Pileus ceterum coriaceus, tenuis, obsolete (praecipue marginem versus) fibris adpressis striguloso inaequabilis, umbrinus, versus marginem pallidor. Forsan *P. venusto* proprior vel ad novum genus *Porodon* (typo P. Acanthoide) referendus.

55. P. (Coriac.) caperatus. Berk.! in Ann. Hist. Nat. III. p. 391.

Cum pracedente. *Cum.! Phil. 2024.*

A simillimo *P. comato* (n. 53) dignoscitur contextu fusco, pileo umbrino leproso-tomentoso postice glabrato, poris minutis rotundis pallidis, trama tenui fusca. In collectione Berkel. vidimus *formam* totam *resupinatam,* extus offerens modo hymenium pallidum.

56. P. (Coriac.) cichoriaceus. Berk.! *P. intybaceus.* Berk. in Hook. Lond. Journ. I. p. 149.

In Philippinis. *Cuming.! Exs. n. 1987.*

Simillimi sunt et hujus stirps *P. setiporus* Berk.! Cent. II. n. 179, *P. tabacinus* Mont. Epicr. *P. iodinus* Mont. Cent. II. n. 181. *P. spadiceus* Berk.! Ann. Hist. Nat. III. p. 388, ad speciminulum a me visum, videtur Fomes, plane diversus ab homonymo Jungh. — *P. palmatus* Berk. (Hydnum Hook. et Epicr.) quoad locum in dispositione systematica dubius est.

H. Stirps Membranacea. Epicr. p. 480.

Species hujus stirpis a Coriaceis submembranaceis recedunt *defectu strati intermedii,* in poros resorbti; hinc pori priorum strato inodermeo modo cohaerent. Hoc in variis speciebus, quoad locum mihi dubiis, ulterius observandum. *P. thelephoroides* Epicr. ad hanc stirpem referatur.

57. P. (Membr.) membranaceus. Epicr. p. 240. Berk.! Ann. Hist. Nat. X. p. 378. t. 10. f. 7.

In truncis putridis ad Mirador, Mexico. *Liebman.*

Species pulcherrima, tenuissima, flaccida, sed ad 2—3 unc. expansa, lobata, utrinqne applanata, superne glabra, at colore albo sericeo-nitens, a basi radians et circa marginem, in siccis fissum et involutum, saepe concentrice zonatus. Pori minimi, aequales, acuti, albi, vetusti a membrana tenerrima pilei secedentes, intermedio in poros mutato.

58. P. (Membran.) azureus, pileo membranaceo tenerrimo flabelliformi-expanso undulato lobatoque velutino duplicatozonato azureo, poris minutis subrotundis albis.

— *chalybaeus,* pileo chalybaeo.

Cum praecedente ad Mirador. *Liebman.*

Statura et habitus omnino praecedentis; pilei e simili membrana, papyro tenuiori, formati, a quo pororum stratum demum secedit; vulgo imbricati, multiplices, lobati, 3 unc. circiter lati. Pagina superior undulata, aliis zonis remotis profunde depressis, aliis confertis angustis elevatis villosis variegata, azureo l. chalybaeo-coerulei. Omnes hae species esca Tinearum.

59. P. (Membran.) plumbosus, pileo membranaceo reniformi utrinque applanato zonato, postice glabrato radiato atrofusco, versus marginem velutino olivaceo-griseo, poris minutis rotundis integris ligneo-pallidis.

In Mexico, absque loco speciali. *Liebman.*

Alia a priorum stirpe species (pileo tenuissimo, pororum strato secedente) pulchella et distinctissima. Forma magis regularis, basi angustata, reniformis, laevigata, margine patente integro, 2—3 lin. lata. Zonae uniformes,

elevatae, primo villosae et fulvae, demum totus pileus glabratus et atrofuscus. Pori priorum firmiores nec candicantes. *P. striatus* Berk.! Ann. Hist. Nat. X. p. 392 differt pileo obscuriori, radiato-striato, poris fuscis.

60. P. (Membran.) cervino-gilvus. Jungh. Jav. p. 49. f. 24.

In Insula Nikobar. *Kamphövener.*

Pileo lateritio hymenioque stramineo illico distinctus.

I. Stirps Resupinata.

In collectionibus nunc recensendis deest. Item iterumque observem *ad hanc stirpem non referendas esse frequentes formas pileo resupinato*, quales singula fere species pileo sessili offert, *sed pileo tantum destitutas.* Typum quasi hujus gregis offert *P. tardus* Berk.!

Subg. Placoderma. Fung. Nat. p. 14. crusta laccata; reliqua Polysticti.

Ad Polystictos genuinos accedit ut Fomes ad Polyporos. Nec hujus adest species in collectionibus praesentibus; at praeter tres species l. c. descriptas hujus loci sunt: *P. tostus* Berk.! Cent. 1. *P. brunneoalbus* Berk.! Cent. II, n. 107.

Trametes. Epicr. p. 492.

Pileus suberosus, anodermeus, azonus, extus intusque similaris, subtus poris discretis successive evolutis at longitudine inaequalibus, nec in stratum contiguum aequale stipatis; contextu floccoso intertexto, nec longitudinaliter fibrilloso, inter poros in tramam descendente, quare pori pileo contigui, nec ejus contextui oppositi ut in Polystictis, obtusi, integri, numquam lacerati.

Trametes pro subgenere Polystictorum hactenus habui, sed seriem prorsus diversam sistunt, habitu, contextu et poris huic contiguis, nec instar Polysticti oppositis, facile distinguuntur. Magis re ipsa Lenzitibus et Daedaleis affines; cum illis tanta affinitas adest, ut singula fere species cuidam analogae Lenzitum respondeat. Aptius igitur visum fuit in tanta specierum copia distinguere. — Sectiones Lenzitum in hoc quoque genere redeunt. Stipes verus deest.

Stirps A. Scutatae.

Perennes, postice saepe stipitiformes ut in Lenzitibus analogis, basi scutata, *regionibus calidioribus privae, cum Polypor. petaloideis* et *Polystict. discipedibus comparandae.*

1. T. (SCUTATAE) ELEGANS. Epicr. p. 492. *Tram. incana* Berk. Cent. I. n. 82? non vidi.

Ad truncos Indiae occidentalis in Costa Rica ad San Joce. *Örsted.* In regno Mexicano ad Mirador. *Liebman.*

Species valde mutabilis, ut e longa formarum serie patet. Specimina perfectissima, horizontalia, integra, subsessilia in basi orbiculari peltata, ultra pollicem lata, stipitis speciem praebente. Alia specimina reniformia, postice emarginata, stipite brevi laterali. Tota ceterum structura et facies *Lenzitis applanatae* l. Palisotii, lignoso-suberosa, dura, rigida; sed contextus floccosus tenuis (1—2 lin. crassus) albus. Pileus glaber, politus (at non incrustatus), sulcis quibusdam obsoletis concentricis notatus, 3—4 unc. latus, alutaceo-albus, margine acuto patente. Pori obtusi, nunc omnes minuti rotundi haud admodum obtusi, nunc longioribus linearibus mixti. Exstat porro var. *minor*, pileo obovato, postice gibbo, poris tenuioribus, plurimis linearibus, ore fuscescente.

2. T. (SCUTATAE) CENTRALIS, pileo suberoso-lignoso tenui orbiculari concentrice sulcato glabrato albido, disco umbilicato tuberculoso, subtus centro sessili, poris curtis oblongis linearibus ligneo-pallescentibus.

Eisdem cum praecedente regionibus.

Praecedenti valde affinis, sed diversa forma (2 unc. tantum lata) margine deflexo, substantia tenui ligneo-coriacea, minus rigida, poris linearibus, primo acutis, demum subobtusis. Subtus in centro adnatus et scutatus est, sed pori undique usque ad basin decurrentes.

3. T. (SCUTATAE) EXPALLENS, pileo suberoso-lignoso tenui laterali laevigato e griseo albicante, postice stipitiformi porrecto basique scutato-dilatato, poris curtis e subrotundo elongatis linearibusque ligneo-pallidis.

Ad truncos in Guinea. *Afzelius.*

A praecedentibus clare diversa. Pileus horizontalis, reniformis l. semicircularis, postice in basin stipitiformem lateralem et scutato-adnatam porrectus, suberoso-lignescens, minus tamen quam vicinarum rigidus, parum flexilis, tenuis, utrinque applanatus, 2 unc. latus, laevigato-glaber, azonus, sed circa marginem uno alterove sulco, parum depresso, notatus, junior griseus l. fuscus, vetustate vero plus minus albescens. Substantia tenax, floccosa, alba. Pori curti, conferti, obtusi, dein elongati et interdum longissimi, trama manifesta alba.

4. T. (SCUTATAE) MARCHIONICA, pileo suberoso reniformi vage concentrice sulcato flocculoso-laevato sordide albo, postice in basin stipitifor-

mem peltato-adnatam porrecto, contextu albo, poris subexiguis angulato-rotundatis aequalibus obtusis glabris. *Polypor. Marchionicus.* Leveill.! in Ann. Sc. Nat. 1845.

In insulis maris pacifici; in ins. Mascarenis!

Praecedentibus valde affinis, conspicue tamen distinctus basi stipitiformi distincta verticali, pileo praecipue marginem versus sulcato, poris haud decurrentibus et multo minoribus, nudo oculo tamen conspicuis. Hujus tribus porro sunt:

* T. Sagraeana. Mont.! Cub. p. 409. t. 16. f. 4. sub Polyporo.

* T. glabrescens. Berk.! in Ann. Hist. III. p. 391. sub Polyp.

Haec species a reliquis recedit pileo postice in stipitem horizontalem quamquam brevissimum, nec scutato-dilatatum, porrecto porisque exiguis fere *T. comtuli.* Structura manifeste Trametis. Pileus alutaceo-helvolus flocculosus, leviter concentrice sulcatus.

* T. atypus. Leveill.! Ann. Sc. Nat. 1844. II. p. 184.

Inter priores et *T. comtulam* quasi medius, haud distincte stipitatus, postice tamen porrectus et angustatus. Pileus priorum tenuior, applanatus. Pori subexigui, sed contextu longiores.

Stirps B. Sessiles.

* *Contextu albo,* n. 15—19. *Epicr.* — H. l. *Polyp. (Tr.) obtusa* Berk. Ann. Hist. Nat. III. p. 390 etc.

5. T. lactea, pileo suberoso pulvinato duro laevi azono e floccoso-glabrato lacteo, contextu niveo, poris rotundis aequalibus obtusis albis.

Ad truncos in America boreali. E Carolina misit *Curtis.*

Pulcherrima species, *T. gibbosae* proxima, sed substantia durior, persistens (*Tr. gibbosa* hieme emoritur), color laetior omnino albus et pori omnes rotundi, regulares. Pileus basi lata simpliciter sessilis, suberosus, durus, reniformis, 3—4 unc. latus, laevis, azonus, opacus, margine patente regulari obtuso. Pori omnino generis, obtusi, lineam tantum profundi, primitus punctiformes. Odor nullus. *Daed. glaberrima* Berk. eadem ex tota facie species, sed nostra haud glaberrima et pori nullo modo Daedaleae.

6. T, ambigua. *Daedalea ambigua* Berk.! Dec. n. 83.

In Antillis. Guadeloupe. *Forsström.*

Pileo gibboso habituque proprio facile distincta. Contextus et pori regulares, obtusi, integri nec sinuosi ad hoc maxime naturale genus trahunt.

** *Contextu pallido.*

Nobilissimarum specierum serie hanc sectionem auxit *Berkeley*, quas omnes mihi rara liberalitate largitus est. H. l. *Tr. lactina, laeticolor, colliculosa, laevis, stuppea* etc. *Tr. sepium* Berk. ad calcem hujus seriei in praesente inseratur, at inventis pluribus speciebus affinibus suae sectionis (CORIACEARUM) typum praebeat.

7. T. PALEACEA. Epicr. p. 471, sub Polyp.

Ad truncos in Guinea. *Afz. ic. n. 18.*

Pileus dimidiato-sessilis, suberoso-lignosus, reniformis, applanatus (praecipue subtus) superne versus marginem obtusiusculum declivis, 3—4 lin. crassus, sulcis concentricis omnino homogeneis exaratus, 2 unc. et transversim 3 unc. et ultra latus, primo pruinato-pubescens, dein glabratus nitidus, crustallino-lutescens. Contextus mere floccosus et cum poris contiguus, alutaceus (*Tr. laeticoloris* omnino similis), in omni aetate aridus et rigidus. Pori in stratum contiguum stipati, trama tenuissima, rotundi, aequales, mediocres, $1\frac{1}{2}$ unc. usque longi, ligneo colore, nunc pallidiori, nunc saturatiori. Quoad poros stipatos *Polyporum* refert, sed structura omnino generis.

* T. COMTULA Berk.! ined. (sub Polyp.) alia valde insignis species, pileo applanato, poris valde exiguis (subrotundis inaequalibus, $\frac{1}{2}$ lin. vix profundis), recedens, sed e contextu suberoso-floccoso (hinc inde poroso!) cum poris contiguo et pileo anodermeo certe hujus generis. Color isabellinus. Superficies colliculosa, impolita, opaca absque sulcis et zonis In Guiana *Schomb.*

8. T. ZEBRINA, pileo suberoso-coriaceo rigido glabro pallide cervino fusco, versus marginem sulcato et brunneo-zonato, contextu tenui alutaceo pallido, poris profundis stipatis oblongis rotundisque obtusis dilute cinnamomeis.

Ex America boreali. *Curtis.*

Est e pulcherrimis. Pileus dimidiato-sessilis, basi decurrens, suberoso-coriaceus, rigidus, semicircularis, transversim 1—2 unc. et ultra latus, planiusculus (at subtus declivis, ut forma triquetra) postice inaequabilis, pallide cervino-fuscus, sulcatus et discolori-zonatus, at omnino homogenus et glaberrimus. Contextus admodum parcus, pallescens (lignicolor); pileus enim ex maxima parte formatus e poris valde elongatis et in hoc genere solito magis confertis, trama pilei, sed angustissima. Pori majusculi, oblongi,

immixtis subrotundis, obtusi, nudi, dilute cinnamomei, juniores vero et intus pallidiores. Pori marginales primitus aeque lati, foveolares, hiantes.

Haec species a typo admodum recedit pileo tenui zonatoque; proxima est *Tr. pavonia* Berk.! sub Daedal. — At habitu Daedalearum, quo omnes Trametes facile a prioribus generibus dignoscuntur, ad hoc genus referantur.

*** *Contextu fulvo ferrugineove.*

H. l. Tr. n. 2, 3, 6—9 *Epicr.*, et plures accesserunt novae v. c. *Trametes aurea* Berk., T. *conglobata* Berk. Dec. n. 79. An vero *Tr. gallica* h. l. sit, non satis liquet, forsan eadem est ac *Tr. Trogii* Berk. cujus contextus vulgo albus, sed alia simul specimina adsunt vetusta contextu cinnamomeo-pallido vix a Tr. gallica diversa. Affinis est *T. protea.*

9. T. Hydnoides. Epicr. p. 490.

In regno Mexicano ad »Totaksa« *Liebman,* India Occidentali. *Örsted.*

T. fibrosa l. c. est species vere diversa, in America meridionali praecipue obvia. Utraque haud parum ad Polystictos revergit. Contextus *subfibrillosus* in poros descendit.

10. T. incondita. Epicr. p. 490.

Ad truncos in Guinea. *Afzel. ic. 16.*

Statura et forma mutabilis, absque sulcis, colore undique fulvo mox recognita.

**** *Contextu rubro.*

11. T. punicea, pileo suberoso convexo-gibbo azono inaequabili miniato-rubro, intus concolori, poris majusculis ore inaequabili obtuso flocculoso obscurioribus.

In Pulo Pinang ad truncos. *Didrichs. n. 25.*

Magnifica species, textura et forma, etiam pororum, *Tr. suaveolentem* referens, sed colore saturate ruberrimo distinctissima. Pileus suberosus, dimidiato-sessilis et longitudinaliter adnatus, superne convexo-declivis, postice gibbosus, azonus, floccoso-glabratus, passim nodulosus l. scruposus, opacus, subtus planus hinc triqueter, 2—3 unc. transversim latus, basi ultra unciam crassus. Contextus floccosus, concolor, non lignescens, sed molli-compactus. Pori magni, inaequales, postice 3—4 lin. profundi, versus marginem sensim breviores.

12. T. cinnabarrina. Epicr. p. 473.

Ad San Joce in Costa Rica.

A priori mox differt, facilius confunditur cum *Pol. coccineo*, cujus vero

contextus albus est, et *Polyst. sanguineo,* a quo differt pileo crassiori, opaco e superficie flocculoso-laevigata (anodermea), poris obtusis. *Tr. cinnabarrina* ad Polystictos accedit.

Monstrum adest hujus speciei tuberculosum, aporum, intus cavernosum, scrobibus farinaceis. Eximie illustrat CERATOPHORAM *Humb.,* quam Trametis odoratae sistere anamorphosin nullum dubium restat, licet negaverit *Corda,* morphologiam fungorum prorsus negligens. Eadem ratio CELLULARIAE Bull., a Bulliardo ipso reductum, sed a Corda restitutum genus. Aliud flagrantius exemplum praebet PTYCHOGASTER Cord., inter Aethalinos receptus, qui nil nisi *Polypori borealis* anamorphosis, quotannis inter vulgarem obvia in Kungsparken Upsaliae.

DAEDALEA. Pers. — Epicr. p. 492.

Genus limitatu difficillimum et a Tramete vix diversum. Morphosis sinulorum alia, praecipue in typica *Daedalea quercina.* In pagina inferiori, primitus apora, primo observantur pori sparsi, sensim in sinulos elongatos intricatosque dilatati, denumque lamellosi. E speciebus typicis nulla adest species in his collectionibus, sed duae valde recedentes et insignes.

1. D. STEREOIDES, pileo coriaceo flexili umbonato-adnato utrinque applanato concentrice sulcato glabro albido, hymenio intricatissimo daedaleo obscuriori.

Ad truncos prope San Joce in Costa Rica. *Örsted.*

Minima et tenuissima hactenus cognita species, vix uncialis, vegetatione Stereorum tropicorum, umbonatosessilis et postice breviter porrecta, sed quoad hymenium pro generis typo ideali proponerem, si morphosis plene cognita esset. Nulli enim adsunt pori!, tantum sinuli ramosi et intricati, ab uno ad alterum marginem porrecti, unde dissepimenta in lamellulas dentiformes abrupta, nullo modo tamen hydnoidea. Pileus reniformis, tenuis, obsolete et dense concentrice sulcatus, sed unicolor (colore ligneo), margine acutissimo recto, subtus sterili pallidiori.

2. D. MOLLIS. Sommerf.! — Epicr. p. 495. *Pol. cervinus.* Pers. Myc. Eur. II. p. 87. ex Berk.

In Mexico ad Huatano. *Liebman.*

Fungus, nullibi vulgatus, proventu in remotissimis terris memorabilis. A matrice discretus et separabilis, licet totus resupinatus, margine vero undique libero et saepe involuto. Junior mollior est, exsiccatus vere rigescit. Subtus semper umbrinus est; hymenium in vegeto album, in exoleto umbrinum. Nova vidi individua supra exoleta reviviscere, sed stratosus non legi-

tur. Pori majusculi, variant subrotundi (Trametis) et elongati sinuosi (Daedaleae); in Mexicano vero elongati recti.

Priori analoga est, at admodum distincta, *D. serpens* (utriusque icon adest in Mus. Holmiensi). Ad hanc pertinet *P. Stephensii* Berk.! Hujus forma per cortices erumpens, primo nodulosa, dein expansa marginata; in ramis decorticatis obvia effusa, immarginata, arcte adnata. Illius pori Daedaleo-sinuosi, hujus subrotundi Trametis. Haec tota albido-pallens, nec colorem mutat.

Hexagona. Epicr. p. 496.

Habitu facillime recognitum genus, sed pororum forma variat etiam subrotunda. Dignoscitur igitur potissimum alveolis *jam primitus* aeque amplis, sub genesi reticulato-contiguis, apertis. Ob specierum numerum admodum auctum, sectiones Epicriseos tamquam tribus proponere necesse est.

Trib. I. H. hirtae, pileo setoso-fibroso.

H. l. Epicr. n. 1—4, *H. aculeata* Mont., *H. setigera* Fr. ined. etc.

1. H. Wigthii. (Klotsch.) Epicr. p. 469. (non Wrightii.)

Ex India orientali a variis reportata.

Alveolis intus setosis haec et *H. Königii* Berk. ab omnibus sequentibus distinctissimae, sed ad hoc genus quoque referatur:

* H. Sinensis. Epicr. p. 489 sub Tram.

Habitus prorsus prioris (setae vero desunt), nec ob alveolos magis rotundatos genere moveatur, ut plures recentius detectae species docent.

2. H. crinigera. Epicr. p. 496. *Tr. crassa*. Leveill.! Ann. Sc. Nat. 1845. I. varietas.

In Guinea (*Afzel. ic. f. 10*), ad portum Natal copiose (*Fung. Nat.*), in Madagascar (*Mus. Par.*)

Pileus sessilis, postice scutato-adnatus, semicircularis, suberoso-lignosus, haud admodum crassus (vix $\frac{1}{2}$ unc.), utrinque planiusculus, marginem (saepe undulato-lobulatum) versus attenuatus, fusco-niger l. omnino ater, azonus, setis admodum rigidis, ultra lineam longis (aculeiformibus) antrorsum decumbentibus adscendentibusque, passim ramosis, exasperatus. Contextus floccosus, compactus, obscure ferrugineus. Alveoli ampli, e subrotundo 4—6-goni, 2—3 lin. profundi, intus ad latera cinnamomeo-pallidi, pruina quasi glaucescentes, dissepimentis crassis, ore nudo nigricantes. — *Tr. crassa* Lev.! nostro, ut ovum ovo, simillima, at valde singularis alveolis saepe in lacunas lineareas elongatis, immo sublamellosis, protractis.

Trib. III. H. LAEVIGATAE. Epicr. 5—8 etc.

3. H. LEPROSA, pileo suberoso crasso pulvinato laevigato leproso-pruinoso umbrino, alveolis profundis amplis acutis fusco-umbrinis, intus nudis.

In Insula San Jan, Indiae occidentalis. *Örsted.*

Novum facile hujus generis typum offerens, ab omnibus eximie distincta. Pileus dimidiatus, sessilis, semiorbicularis, pulvinatus, 2—4 unc. latus, basi 2 unc. et ultra crassus, absque zonis, sulcis et pilis, sed superficies undique flocculoso-leprosa, quasi pruinosa, ceterum laevigata et demum denudata; margo declivis, acutus. Substantia ipsius fungi tenuissima est, pallido-umbrina; intus enim totus fungus basi excepta ex maxima parte factus est ex alveolis ultra unciam profundis, amplis, at solito tenuioribus, subrotundo-angulatis, ore acutis umbrinis, demum Daedaleo-laceratis; intus vero pallidiores, fere ligneo colore, nudi, glabri nec pruina glaucescentes.

Trib. III. H. SULCATAE. Epicr. n. 9—12 et plurimae recentius distinctae species.

* *Alveolis ligneo-pallidis l. cinnamomeis. H. Gunnii* s. *P. vesparius.* Berk. in Ann. Hist. Nat. III. p. 323.

* H. SULCATA. Berk.! Dec. n. 183. t. 20. f. 1.

Hujus sectionis typus, crassa et pulvinata, sed in speciminibus nostris pileus (glaber, fusco-niger) crebrius et multo levius sulcatus, quam in icone Berkeleyana. Alveoli admodum firmi, primitus (aperti) foveolares et distantes!, demum ad basin ultra unciam profundi, parum angulati vel etiam breve sinulosi, semper obtusi, colore fere Daedaleae quercinae.

* *H. glabra.* Leveill. Ann. Sc. Nat. 1846. I. p. 143 inter hanc et sequentem medium tenet locum.

4. H. MACROTREMA. Jungh. in litt., pileo suberoso-lignoso ungulato concentrice sulcato velutino ochraceo, contextu tenui alveolisque profundis amplis regulariter hexagonis pallidioribus, ore acuto. *H. Molkenboerii* Lev. in Ann. Sc. Nat. 1844. II. p. 200. quoad syn. Junghuhnii.

In Java variisque Ind. orientalis locis.

Ampla species, in spec. viso applanata, quae ut plurimae crassiores Hexagonae intus ex maxima parte ex alveolis profunde excavatis formata est. Quoad alveolarum formam haec species generis typum optime exhibet.

5. H. UNICOLOR, dilute ferruginea, pileo coriaceo rigido subflexili applanato concentrice sulcato glabro, alveolis mediis vadosis angulatis.

In America calidiori.

Pileus dimidiatus, sessilis, peltato-adnatus, reniformis, 2 unc. circiter transversim latus, passim plures imbricati, dilute ferrugineus, non priorum instar incrassatus, sed tenuis applanatus subflexilis, rigescens tamen, sulcis concentricis concoloribus exaratus (nec a basi radiato-rugosus), glaber. Margo acutus, passim incisus, concolor. Contextus floccosus, dilute ferrugineus. Pori medii, regulares, 4—6-goni, obtusiusculi, dilute cinnamomei. — Inter fungos Americanos inveni, sed locum specialem ignoro. Proxima est *H. fasciatae Berk. Ann. Hist. Nat. IX. p. 444. t. 9. f. 2.* hujus quoque gregis.

* H. PAPYRACEA. Berk. in Ann. Hist. Nat. X. p. 379 est longe tenuior species.

** *alveolis profundis, umbrinis, fusconigris nudis;* acie vulgo tenuibus acutis.

Typum hujus sectionis sistit nobilissima *H. speciosa* Fr. Fung. Nat. p. 17.! Ceterum h. l. *H. decipiens* Berk. Dec. n. 44., *H. umbrinella* Fung. Nat. l. c., *H. discolor* Fr. in Plant. Preiss. II. p 136 etc.

6. H. ORBICULATA. Epicr. p. 497.

Ad truncos in Guinea (*Afzelius ic. n. 9.*), ad Port Natal copiose. *Wahlberg.*

Polymorpha haec species; nunc pileo vertice adnato undique expansa et integra, orbicularis, nunc lateralis, 2—3 unc. lata. Habitu, pileo dense concentrice sulcato villoque adpresso canescente et alveolis firmis subrotundo-hexagonis regularibus, ore obtusis, proxime accedit ad sequentem s. *H. tenuis* stirpem; pileus tamen crassior, suberoso-coriaceus, supra planus subtus convexus et alveoli sat profundi, haud glaucopruinosi. Basis subpeltata.

*** *Alveolis firmis, vadosis, e pruina glaucescentibus, ore obtuso.*

Ex hac grege ingentem formarum numerum e plerisque terris tropicis reportatam habeo et h. l., praeter sequentes, *H. peltata* Fung. Nat. p. 16, pileo crassiori insignis, et reliquae numerosae species recentius propositae. Facile tamen largior mihi hactenus nondum successisse limites definitos plurimarum reperire, colore mutabili. Cfr. *Fung. Nat. p. 17.*

7. H. POLYGRAMMA. Epicr. p. 497. Mont. Cub. p. 379. t. 14. f. 3. *Polyporus.* Ejusd. in Ann. Sc. Nat. VIII. p. 365.

In terris tropicis frequens, tam antiqui, quam novi orbis.

Quamvis haec a sequ. bene diversa videatur, formis mediis tamen cum eadem paene jungitur. Sic *H. tenuis* e terra Natal (Fung. Nat. p. 17) strictius huc referenda, bene per litteras monente amic. *Berkeley.*

8. H. TENUIS. Epicr. p. 498.

Cum praecedente, etiam vulgaris et protea. Formam typicam e Costa Rica, San Joce, reportavit *Örsted.*

9. H. TRICOLOR. Epicr. p. 498.

Ad truncos in Guinea. *Afzel ic. 8.*

Haec est species ab omnibus praecedentibus clare diversa, alveolisque minutis, fusco-cinereis potius quam pruinosis, ad *Polyst. tostum* Berk. quasi revergens, sed pileus tenuissimus, rigidus, subfragilis, nitidus et glaberrimus, 2—3 unc. latus, rugosus et versus marginem tantum dense concentrice sulcatus. Postice umbrinus est, antice fuscus.

FAVOLUS. Epicr. p. 498.

Genus quam maxime naturale; et substantia molli et lenta, alveolis, sporis acute limitatum, exclusis nempe Polyp. quibusdam platyporis recentius huc translatis v. c. *P. arculario, alveolario, favulari* s. *Fav. agariceo* et *arculario* Lev., *Guadelupensi* Lev., *nummulari* Berk., *ciliari* Mont. etc. Sed etiam his missis pluribus eximiis speciebus recentius est auctum (praecipue e mihi cognitis eminent *F. pelliculosus* Berk. ined., *F. natalensis* Fung. Nat. p. 18); specierum limitatio saepe difficillima est, non modo ob varietatem, saepe singulari ratione luxuriantem, sed adhuc magis ipsarum mutatione sub exsiccatione. Sic collatis iconibus optimis *Örstedii,* ad vivum factis, cum ipsarum archetypis exsiccatis plane diversas facile fingeres species; non modo color albidus in subochraceum e. s. p. mutatur, sed multi characteres essentiales in pilei superficie, margine ciliato denticulatove evanescunt. Hinc admodum cauti simus in novis speciebus ad specimina Musaeorum sicca admittendis.

1. F. EUROPAEUS. Epicr. p. 498.

In Carolina, Americae borealis. *Curtis.*

Cel. inventor hanc pro varietate *Polyp. Boucheani* dealbata, pileoque omnino immaculato (neque squamoso) habet et manifeste alius est status Polypori citati, qualis in America boreali legitur, licet hujus pileus ochraceus, squamoso-maculatus; sed meus *P. Boucheanus,* qui B. platyporus *β.* A. S. omnino diversa est species. An vero hic *F. Boucheanus* Klotzsch non liquet; valde autem dubitem genuinum Favolum in Europa boreali nasci.

2. F. SUNDAICUS, pileo molli cuneato-reniformi glabro alutaceo undique marginante stipitem sublateralem brevissimum, alveolis oblongis decurrentibus pallescentibus, acie acutis glandulosis.

In Pulo Milu. *Didrichs. n. 23.*

Forte mera *F. Brasiliensis* var. (hunc enim genuinum e Sikkim Himalayae misit *Berk.)*, stipite ejusdem more undique a pileo marginato, ceterum laterali. Stipes lineam vix excedens, glaber. Pileus lentus, mollis (Polypori analogi siccitate ligneo-rigentes), transversim dilatatus, ultra unciam latus, postice angustatus, alutaceus, opacus; nullo modoradioso-virgatus, ut in subsimili *F. Moluccensi* Mont., sed potius transverse corrugatus et versus marginem scruposus secus alveolos paginae inferioris. Alveoli in stipitem decurrentes, oblongi, dissepimentis tenuibus et acutis, acie glandulis stipitatis albis tenuissime ciliata.

3. F. FLACCIDUS. Epicr. p. 499.

Ad San Joce, Costa Rica. *Örsted. ic. n. 54.*

Species polymorpha. Ex icone *totus albidus,* pileus integer, sed excentricus, umbilicatus, lacero-lobatus, laevis, glaber, prope marginem subtiliter denticulatum squamulosus. In sicco tam squamae quam ciliae disparent et color ochraceo-lutescens, quare primo obtutu pro nova specie *(F. lacero)* habui; utriusque vero speciminibus cum icone comparatis nullas detegere potui differentias. *Favoli tessulati* Mont. descriptio saltim a meo recedit.

4. F. VELUTIPES, pileo submembranaceo flabelliformi laevi glabro (fulvoferrugineo), margine ciliato, stipite laterali brevissimo hirto-pubescente, alveolis decurrentibus elongatis denticulatis pallidis.

Cum praecedente ad S. Joce, Costa Rica. *Örsted ic. n. 55.*

Species perquam nobilis, priori minor, manifeste stipitata. Stipes pileo concolor, $\frac{1}{2}$ unc. l. parum ultra longus, deorsum attenuatus, transverse compressus, hirtulo-pubescens et subtus ex alveolis decurrentibus saepe reticulatus; apice in pileum spathulatum aut vulgo oblique reniformem l. flabellarem, exacte lateralem, dilatatus. Pileus tenuis, in linea recta a stipite porrectus, recens carnoso-lentus, siccus fragilis, 1—2 unc. latus (at cum vicinis concrescens adhuc latior) laevis, glaber, sed circa marginem incurvum virgatus. Ex icone fungi vivi patet colorem in fungo recenti esse pallidiorem et fibrillas marginales innatas in cilias esse porrectas. Alveoli elongati, vix angulati!, subtus praecipue decurrentes, in vivo albidi, in sicco fulventes, dissepimentis tenuibus, acie sub lente denticulata et in siccis lacera.

Restat adhuc una altera species hujus generis, at cum icon vivi fungi desideratur nec a jam descriptis tute licet distinguere, candidius est seponere, quam novis speciebus dubiarum struem augere.

Laschia. Epicr. p. 499.

1. L. delicata. l. c. *L. tremellosa.* Summ. Veg. Sc.!

Ad truncos in Guinea *Isert;* in regno Mexicano ad Zacuapa. *Liebman.*

Specimina Mexicana *simpliciter exsiccata* ita habitu recedunt a Guineensibus *compressis,* ut diversas fingas species. Illa vero descripturus utriusque spec. in aqua maceravi (reviscunt enim Laschiae ut Exidiae!) et absolutam inveni identitatem, ut ne quidem ut formae distingui possint. — Reniformis, conchata, subdimidiata, sed undique marginata, postice umbone brevissimo porrecto stipitata, pendula, unciam vix attingens, gelatinoso-membranacea, flaccida, fusca, facie glabra, sicca contrahitur opaca nigrescens, in aqua facile reviviscens subpellucida. Hymenium definite terram spectat (hinc ad Tremellinos, structura proximos, non referatur), e costis anastomosantibus profunde areolatum, dissepimentis obtusis homogeneis, alveolis amplis irregularibus. *L. velutina* Lev. etiam maxime affinis videtur; pubis velutini vestigium subtilissimum subinde etiam in hac vidi. — Nobilissimi Hymenomycetum generis speciem typicam et primariam iterum lectam esse magnopere gaudemus.

Merulius. Epicr. p. 300.

1. M. incarnatus. Schwein. — Epicr. p. 500.

E Texas. Dedit *Tuckerman.*

Specimina Texana plicas gerunt reticulato-porosas omnino generis, in quo utique abnormis est species, sed ad Canthareollos vix referatur.

Hydnum. Epicr. p. 505.

1. H. (Mesopus) proliferum. Epicr. p. 509.

Ad ligna putrida in Guinea. *Afzel. f. 28.*

Unicum hactenus cognitum Hydnum Mesopus e regionibus tropicis et a reliquis maxime recedens vegetatione epixyla, basi scutato-dilatata, fungis epixylis tropicis communi. Stipes nil aliud est, quam basis centri tuberculosa, subtiliter pubescens, lignis adfixa. Pileus coriaceus, orbicularis, cyathiformis, dein magis explanatus, 1 unc. latus, azonus, laevis, tomento molli velutinus, subnitidus, ligneo-pallescens; in disco depresso tuberculosus. Haec tubercula sunt novorum pileorum rudimenta, quae subinde in perfecta individua excrescunt, ut videre licet in Cladoniis a diaphragmate proliferis. Aculei conferti, graciles, subulati, l. rarius compressi, ad basin decurrentes, versus marginem decrescentes et pallidiores, primo cinnamomei, sed in spec. siccis fusci.

Quattuor nova Hydna Mesopodia unumque Pleuropus, nulli affine, in Vet. Ac. Förh. 1851. Febr. descripsimus. Haec in Suecia, Hydnorum feraci, detecta sunt.

2. H. (Pleuropus) flabelliforme. Berk.!

Ad truncos Quercuum Americae borealis.

Nulli suae sectionis rite affine, pilei vero forma et structura *H. conchato* proximum. Differt vero pileo flabelliformi, stipite distincte laterali, jugis inter sulcos elevatis aculeisque multo brevioribus albidis.

3. H. (Apus) friabile, pileo sessili carnoso fragili applanato floccoso-scabro albido, aculeis subulatis longis inaequalibus subdistantibus ochraceis.

Ad truncos Americae borealis. *Curtis!*

Pileus dimidiatus, transversim ad plures uncias dilatatus, planus, e tomento confluente in superficie scabrosus et maxime inaequabilis, nodulosus, scrobiculatus etc. unciam et ultra latus, azonus, albus, siccus alutaceus, margine stricto acuto. Contextus carnosus, at siccus lento-fragilis, floccosus, saepe a larvis corrosus. Aculei subulati, interdum compressi, ad 3—5 lin. elongati, acuti, solito magis inter se distantes, at basi nullo modo connexi, ochracei, siccitate mellei. *H. pulcherrimum* Berk. et Curt.! aculeis multisque notis conspicue differt.

4. H. (Apus) conchatum, pileo sessili coriaceo subrotundo concentrice sulcato floccoso-laevigato albo, aculeis subulatis gracillimis aequalibus fuscis.

In truncis ins. Oahu. *Didrichs. n. 56.*

Pilei dimidiati, imbricati, coriacei, tenues, sat molles (substantia Sterei), obovato-subrotundi l. semicirculares, sulcis concentricis minus profundis exarati, sed absque zonis discoloribus, toti albicantes, villo vix perceptibili adpresso; villo deterso juga interdum abeunt in zonas fulvello-fuscescentes. Margo regularis, tenuissimus, hymenium excedens. Aculei gracillimi, confertissimi, eximie regulares, subulati, pallide fusci.

5. H. (Resup.) squalinum. Epicr. p. 515.

In America boreali. *Ravenal:* dedit *Tuckerman.*

Irpex. Epicr. p. 521.

1. Irpex tabacinus. Berk. et Curt.! spadiceus, pileo coriaceo tenui effuso breviter reflexo, superne scruposo-tomentoso, dentibus compressis obtusis irregulariter seriatis.

Ad cortices Carolinae *Berk.! Curt.!*

Pulcherrima species, colore ab omnibus eximie distans. E *Costa Rica* adest fungus nondum explicatus, quem huc referam.

2. I. PALLESCENS. Epicr. p. 522.

Ad ramos dejectos Liriodendri, Mexico et Carolina. *Curt. n. 170.*

Ab *I. Tulipiferae* longe distat. Pileus effusus, sed superne semper marginatus. Dentes omnes compressi, connexi, valde difformes.

RADULUM. Epicr. p. 524.

1. R. TOMENTOSUM. Epicr. p. 525.

In America boreali. Misit *Tuckerman.*

Singularis est ratio de omnibus generibus vere naturalibus indeque perennaturis, qualia omnia Hydnea, primitus dubia moveri, at artificialia, e charactere quodam subtili pendentia, agnosci. Qui vero v. c. *Radulum* cum *Hydno* jungere malunt, neutrius sane perceperunt verum nexum. Radulum Corticio tantum affine.

CLADODERRIS. Pers. — Fung. Nat. p. 20.

1. C. CRASSA. Fung. Nat. p. 22. *Thelephora.* Kunze.! Klotsch in N. Act. Nat. Cur. Supl. I. p. 237. c. ic.

E Surinamo accepi.

THELEPHORA. Ehrh. — Epicr. p. 534.

1. T. (MESOPUS) CORNUCOPIOIDES, pileo e lento rigido profunde infundibuliformi radiato-rugoso glabro fusco, stipite glabriusculo pallido, hymenio subrugoso nudo griseo.

Ad terram prope San Joce in Costa Rica. *Örsted.*

Singulari naturae lusu Craterellum Cornucopioidem ita refert, ut ex iconibus haud distinguas! Hujus vero stipes solidus, substantia in vivo carnoso-lenta, sicca fere lapideo-lignosa; pileus radiato-rugosus margine subfimbriato! Stipes 2—3 unc. longus, 2—3 lin. crassus, aequalis l. basi attenuatus, compressus, glabriusculus, tenacissimus, pallidus. Pileus membranaceo-cartilagineus, siccus admodum rigescens, profunde infundibuliformis, 2—3 unc. latus, glaber quidem, sed jugis elevatis versus marginem undulatum primitusque fimbriatum radiato-rugosus, nec Stereorum more zonatus. Hymenium inferum, induratum aut rugosum. Affine Cladoderri!

* TH. ANTHOCEPHALA. Epicr. p. 535.

Raram hanc speciem e Carolina misit Rev. *Curtis,* Europaeae minorem minusque divisam.

2. TH. (PLEUROPUS) AURANTIACA. Pers. — Mont. Cub. t. 14. f. 1. Epicr p. 536.

Pulchra species, pileo integro dimidiatoque varia, pileo fibroso-radiato, ut in reliquis genuinis speciebus. Color e cinnamomeo-expallens, potius quam aurantiacus.

3. TH. (MERISMA) CRASPEDIA, erecta, caespitosa, membranaceo-mollis, sicca fragilis, palmato-ramosa, ramis complanatis costatis sursum dilatatis, apice lacerofimbriatis, hymenio definite infero pallide gilvo.

In pinetis in Pico de Orizaba, 10,000′ altit. *Liebman.*

Eximia species, *Th. tuberosae* l. *pallidae* similis, sed substantia tenui submembranacea, sicca fragili (membranacea), pileoque foliaceo-complanato costato (costa vulgo simplici ut in Alaria!) valde distincta. Ultra unciam alta. Hymenium paginam exteriorem (inferiorem) tantum occupans, sporophoris evidenter tetrasporis, demum floccoso-collabens et saepe foveolatum, quasi porosum. Sporae albae.

4. TH. (MERISMA) ANGUSTATA, erecta, cinereo-fusca, e lento rigida, sublignescens, stipite elongato radicato rugoso glabro compresso, sursum irregulariter diviso in ramos inaequales fastigiatos compressos, extus hymenio vestitos.

Merisma angustatum. Leveill. in Ann. Sc. Nat. 1846. p. 154. e descr.

Ad ligna! putrida in Costa Rica. *Örsted.*

Substantia, color, hymenium exacte *Th. Cornucopioidis,* modo forma diversissima (*Clavariae rugosae*) recedens, formas quasdam magis ramosas referens. Stipes 2 unc. longus. Color fuligineus. Quamvis recens carnoso-lenta, sicca multo magis induratur, quam Sterea.

5. TH. (MERISMA) CORBIFORMIS, sessilis, cinereofusca, rigens, lobis caespitosis, exterioribus adscendentibus, in pileum circinatum cupulaeformem hinc inde lacunoso-pervium coalescentibus, interioribus discretis stipatis erectis angustis, hymenio infero inaequabili albido.

Ad terram ad San Joce, Costa Rica. *Örsted.*

Quoad substantiam, texturam, colorem etc. etiam haec cum n. 1 et n. 4 prorsus convenit, sed quoad formam exhibet typum, cui simile inter Hymenomycetes hactenus non vidimus. Caespites regulariter *circinati,* densissimi, ad basin usque divisi in lobos innumeros, quorum interiores liberi et erecti, ramis praecedentis similes; exteriores vero regulariter adscendentes, latiores, compressi, subtus modo hymenio vestiti, et singulari artificio con-

crescunt in cupulam, hinc inde lacunoso-perviam, apice undulatocrispae fimbriatae. Refert haec cupula pileum integrum concavum sessilem, hymenio infero, cujus pagina sterilis undique prolifero-ramosa. Certe flagrantius exemplum identitatis Merismatum et Thelephorarum excogitari nequit. Plura specimina eximie conformia accidentalem non esse lusum testantur!

6. Th. (Merisma) pallida. Schwein.! Syn. Am.

In Mexico: Trap. de la Conception. *Liebman.* Copiose in Carolina. *Curtis.*

Erecta, coriacea (nec membranacea ut *Th. craspedia*), ramis erectis sursum attenuatis acutis, hinc a *Th. candida* Epicr. p. 538. bene diversa. Forma *Th. clavulari* proxima, sed colore conspicue differt.

Stereum. Epicr. p. 545.

1. S. (Mesopus) Junghuhnii, coriaceum, concrescens, pileo plano-infundibuliformi fibroso-striato integro alutaceo, stipite centrali aequali hymenioque laevi glabro pallide cinerascentibus. *Theleph. striata* Jungh. Jav. p. 40 non St. striatum Fr.

In Java circa Bataviam. *Junghuhn* aliique.

Crescendi modus et statura Hydni tomentosi. Proximum *St. infundibuliformi.*

* S. Damaecorne. Link. Color junioris est fulvo-ferrugineus, indeque vix differt *Hymenochaete formosa* Leveill. Ann. Sc. Nat. 1846. I. p. 151. Haec species est, sec. Link, generis Sterei typus, quare hoc genus exacte Linkii sensu restituens et nomen necesse servasset Cel. Leveille.

2. S. (Pleuropus) reniforme. Epicr. p. 546. Berk. in Ann. Hist. Nat. X. t. XI. f. 11.

In Brasilia. *Lund*

Icon Berkeleyi, nostram speciem procul dubio sistens, recedit a meo stipite breviori, pileo minori bilobo, qui in meo latior, integer, reniformis.

3. S. (Merisma) fasciatum. Epicr. p. 546.

In Mexico. *Liebman.*

4. S. (Apus) Ostrea. Epicr. p. 547. *Theleph.* Nees l. c. t. 2.

Forma major (*Th. Ostrea* Jungh. Jav.) in Pulo Pinang, *Didrichs.* n. 20; forma minor (*Th. concolor* Jungh. l. c.) in Pulo Milu. *Didrichs. n. 18.*

Exstat quoque similis species minor, pileo azono undique griseo-tomentoso, hymenio cinereo-pallido, sed inter multas peraffines nolui novas addere et, ni fallor, cum aliis hujus gregis formis jam descripta.

5. S. (Apus) lobatum. Epicr. p. 547.

Plures hujus e Mexico *(Liebman)* et Costa Rica *(Örsted)* adsunt formae.

Duae formae sat notabiles, seorsim notandae; *altera e Mexico,* coriaceo-rigida, integra, supra azona obsolete concentrice sulcata glabra brunneo-grisea, subtus glabra fuscescens, videtur exoleta — *altera e Costa Rica*, pileo lobato dense radiato-striato pallide brunneo, ex maxima parte glabro, zonis paucis distantibus, peculiari ratione ad normam loborum pilei flexuosis, hymenio fere albo. Pauca specimina, quare nolui separare.

6. S. (Apus) versicolor. Epicr. p. 547.

In Costa Rica. *Örsted* etc., cosmopolita.

Pileo tenui submembranaceo a prioribus differt. Colores non constantes, indeque species caute distinguendae!

7. S. (Apus) striatum. Epicr. p. 548.

In regno Mexicano. *Scheide.*

8. S. (Apus) radians, umbonato-sessile, coriaceo-rigidum, utrinque applanatum, glabratum, nitidum, a basi dense fibris innatis radians, zonis badiis variegatum, hymenio laevi pallescente.

In Mexico: Trap. de la Conception. *Liebman.*

Medium inter *St. striatum* et *complicatum,* ab utroque bene diversum. Admodum tenue, sed rigidum tamen, nec flexile, nec sequentis instar complicato-inflexum, sed plano-strictum. Pileus e basi angustata reniformi-dilatatus, uncialis, quamvis fibrillis innatis radiato-virgatus glaber nitens, pallidus, sed zonis admodum subtilibus et confertis variegatus. Hymenium nudum, glabrum.

9. S. (Apus) complicatum. Epicr. p. 548.

Cum priori pulchra et copiosa specimina speciei elegantissimae: *Liebman.*

10. S. (Apus) hirsutum. Epicr. p. 549. Var.

In Costa Rica ad S. Joce. *Örsted.*

Forma, l. c. lecta, strictius est *St. molle* Leveill. Ann. Sc. Nat. 1846. I. p. 147. e spec. Curtis! Differt modo indumento pilei molli, intertexto.

11. S. (Apus) rugosum. Epicr. p. 552.

In Mexico. *Högberg.*

Strictius est *S. subpileatum* Berk.!, quod formam expallentem censeo,

exacte respondens formae, *Th. sinuans* a Persoonio dictae, quae absolute est status exoletus et expallens *St. frustulosi,* ut inventor *Mougeot* clare demonstravit et saepissime in natura confirmatum vidi, quidquid ad specimina sicca judicetur.

12. S. (Apus) albo-badium. Epicr. p. 551.

In Mexico, Orizaba. *Liebman.*

Non commutetur cum *St. fuliginoso* Ep. p. 553., quod late effusum et indeterminatum, hymenio setuloso coloreque obscuro diversum. Eximia hujus specimina a *Berkeleyo Curtisio!* etc. missa.

13. S. (Apus) crassum, resupinatum, effusum, secedens, coriaceum, subtus villosum nigrescens, ambitu determinato obtuso pallidiori, hymenio subglabrato umbrino-fusco.

Th. crassa. Leveill. Voy. Bon. p. 190. teste Berkeley!

In Mexico ad Mirador, copiose et speciosum. *Liebman.*

Affine *St. abietino* et *centrifugo,* late expansum, latere sterili matrici arcte applanato, at non adnato; occurrit etiam margine reflexo. Hymenium in adulto glabratum.

14. S. (Resupinat.) strumosum, resupinatum, durum, adnatum, ochraceum, primo tuberculiforme immarginatum, dein dilatatum confluens indeterminatum, hymenio laevi pulverulento.

Ad cortices arborum in Mexico. *Liebman.*

Cum *St. frustuloso* unice comparandum, cum quo morphosi convenit, sed illud primitus cinnamomeo-pulverulentum, hoc luteo-pulverulentum, ut chartam colore luteo inquinet; nec, ut prius adultius, hactenus vidi denudatum. Substantia arida, dura, sublignosa, at singula areola tantum 1—3 lin. Ambitus in neutro statu, simplici et confluente, marginatus, sed interdum byssino-radians.

Subg. nov. Malachodermum.

Pileus tenuissimus, papyraceo-membranaceus, mollis, flaccidus, totus e priorum strato intermedio quasi formatus. Typus: *Stereum vitile* Fr. Fung. Nat. p. 23.

15. S. (Malachod.) tenuissimum. Berk.!

In Mexico videtur admodum frequens et copiosum, e locis quamplurimis adest in collectione *Liebmanni* v. c. Mirador, Christla etc.

Duplex adest forma, altera ferruginea, altera obscure umbrina (illam vegetam, hanc exoletam fingo), utraque supra impolita sed glabra, concen-

trice sulcata, unicolor. Saepe longitudinaliter effusa. Hymenium tenuissimum, laeve, saturatius coloratum, versus marginem sterile pallidius; in forma umbrina vero concolor. Synonymo Berkeleyi non cognito sub *St. malachodermo* distribui.

16. S. (Malachod.) roseocarneum. Schwein. Car. p. 81. var. ramealis.! Corticium Leveilleanum *Berk.?*

Adest in collectione (e Pulo Milu?) *Didrichsenii,* et per Americam videtur vulgare.

Haec species a typo hujus subgeneris paululum recedit, sed ob hymenium in nulla aetate ceraceum, siccitate nec contractum, nec rimosum a Corticiis, meo sensu, omnino distinguendum. Forma resupinata, ex orbiculari confluens, longe effusa instar *St. albobadii,* ambitus determinatus, tenuis et superne saepe pileato-reflexus, pileo leviter concentrice sulcato Stereorum!, adpresse sericeo, albo. Substantia non ita laxe contexta ac priorum, sed admodum mollis, arida. Hymenium laeve, carneo-roseum l. rubellum, canescenti-pruinosum potius quam pubescens. Fungus exoletus totus candidus est. Haec duplex aetatis status ad hoc subgenus maxime trahit. — Specimina, quae supra folia lecta misit Schwein., dubia sunt, manifeste imperfecte evoluta; facile tamen analoga cum *Th. dryina* (St. disciformis!) *Athelia Taxi* P. (Sterei areolati!) etc. — Habitus *St. roseocarnei* ad Hypochnos accedit et *Schweiniz* juxta *H. rubrocinctum* (Th. coccineam *Schw.!*) collocavit.

Auricularia. Epicr. p. 555.

Hymenium in hoc genere varie effiguratum, sed species adeo intime connexae, ut genere aegre moveantur. A centrali *A. mesenterica* hinc per *A. cucullatam* S. V. Sc. et *A. vespertilionem* in *A. venulosam,* illinc per *A. lobatam* in *A. reticulatam* Epicr. abit. Haec vero, sensu Cel. Montagnei, optima est *Gloeopori* species. Accedunt demum species hymenio prorsus laevi, v. c. *A. lenta, A. minuta* Berk.

1. A. Vespertilio, resupinato-effusa, cartilagineo-gelatinosa, applanata, umbrino-nigra, hymenio venoso-costato umbrino-nigrescente.

Ad truncos in Costa Rica. *Örsted.*

Eximia species, pagina sterili undique matrici applanata, orbicularis, 3 unc. circiter lata, in ambitu sublobata, uda referens *Collematis nigrescentis* formas magis speciosas. Structura quidem generis, at cartilaginea, irrigata multo minus turgida et tremellosa, quam in speciebus Europaeis, quare nec sicca ita contracta, nec hymenii color vere immutatur. Costae hymenii e

centro fere radiantes, contiguae, parce ramosae, aequales, venosae, nec adeo elevato plicatae, ut in tribus sp. Europaeis. Pagina inferior sterilis azona, in udis etiam nigra est, sed sicca sericeo-laevigata l. subglabra, isabellina, alutacea, versus marginem saltim fusco-zonata.

* A. VENULOSA, effuso-reflexa, cartilagineo-gelatinosa, extus flocculosa subzonata, hymenio nigricante, plicis brevibus interrupte venuloso. Phlebia. *Berkel.! ined.*

In Sikkim Himalayae. Dedit *Berkeley!*

Haec praecedenti adeo affinis, ut genere movere non liceat. Differt potissimum statura minori, pileo reflexo et praecipue plicis brevibus interruptis, nec instar praecedentis contiguis. E charactere potius pro Phlebia haberes.

2. A. LENTA, pileo orbiculari peltato-resupinato molli lento, subtus velutino azono, hymenio sublaevi purpurascenti-umbrino, medio una alterave plica modo costato.

Ad truncos ad Mirador, Brasiliae. *Liebman.*

Generis more humectata reviviscit quidem at coriaceo-mollis, sed lenta s. cartilagineo-carnosa, nec tremellosa. Magnitudo ab $\frac{1}{2}$- ad 2 unc., primo subrotunda, dein oblonga, tota peltato-adpressa, in ambitu soluta. Color humectatae utrinque purpurascenti-umbrinus, sed in siccis *A. mesentericae,* at absque zonis. — Hac tres pernobiles species peculiarem generis tribum constituunt.

CORA. Epicr. p. 556. Cfr. Fung. Nat. p. 25.

1. C. (EUCORA) PAVONIA. Epicr. l. c. *Theleph.* Swartz.

In India Occidentali *(Benzon)*, inter Parmelias putridas S. Joce in Costa Rica *(Örsted)*, in Mexico praecipue inter muscos in summo monte Orizaba. *Liebman.*

Valde protea, sed omnia specimina videntur exoleta. Plures distingui possent formae v. c. *umbilicalis,* pileo integro repando-lobato viridi expallente, stipite centrali elongato, hymenio (soluto) flocculoso-furfuraceo.

2. C. (CILICIA) SERICEA. Fung. Nat. l. c. *Theleph.* Swartz.

Cum praecedente.

CORTICIUM. Epicr. p. 556.

Sporophora etiam hujus generis esse tetra-exospora, ut in reliquis, jam pridem exposui, ut etiam rationem erroris optici, quo endospora saepe apparent, sed morphosi et hymenii indole a praecedentibus natura ipsa clare

distinxit. Est quasi *Radulum* l. *Merulius laevigatus*, quare varii Merulii in statu primario confunduntur et Persoonius *R. laetum* pro Thelephora habuit. Expositio generis Arrhytideae Berk. in Corticia cupularia optime quadrat; hujus vero specimina sub microscopio lustrata longe aliam monstrarunt fabricam, nempe Dacrymycetis, floccis tenellis ramosis subcontiguis densissime intricatis, *sporis in apice solitariis*, demum nullis, quare ex Auricularinis excludo. Femsjonia Summ. Veg. Scand., quamvis longe speciosior, fere eadem planta. In hac vero excipulum firmum persistens, cum in Arrhytidea vetusta, disco turgescente evanescat, ut in hoc statu aegre a Dacrymycete distinguatur.

1. C. ochroleucum. Epicr. p. 557.

Late haec dispersa, at semper parcius obvia species, etiam ex America boreali adest.

Medium inter Sterea et Corticia, pileus s. margo reflexus Stereorum; hymenium vero tenue ceraceum, rimoso-fissum, quo ab omnibus utriusque generis speciebus recedit.

2. C. contractum, resupinatum, effusum, subrotundum, determinatum, ambitu siccitate soluto et contracto cupulare, hymenio ceraceo laevi glabro pallido (sicco contiguo).

Ad terram in Mexico supra folia aliaque vegetabilia putrescentia. *Liebman.*

Species nobilis, *C. giganteo* Fr.! (Theleph. pargamena P.) manifeste affinis. Ex omnium Corticiorum indole siccata contrahi, plurimae sp. hoc statu rimoso-incisae, sed illae, quae a matrice solvuntur, integrae persistunt subinvolutae. Ex harum numero sunt *C. contractum*, *giganteum* etc.: etiam *C. quercinum*, quod in statu primario matrici adglutinatum instar *C. incarnati* etc. et *C. cinereum* subinde *C. quercini* more solvitur. *C. contractum*, quod in statu vegeto matrici arcte applanatum est, siccum cupulam refert (v. c. Pezizam vesiculosam), unciam circiter latam. — Hymenium superum (quale numquam in Stereis), sporophoris manifeste tetrasporis, sporis subrotundis.

3. C. pannosum, late resupinato-expansum, adnatum, ramos ambiens, cinereo-luridum, ambitu fibris stipatis erectis fuscis pannoso, hymenio inaequabili cinereo-lurido, siccitate rimosissimo.

Ad ramos dejectos in Mexico. *Liebman.*

Alia distinctissima species, colore et habitu *C. cinerei*, sed crassius et speciosius, ambituque pannoso ab omnibus recedens. Ad plures uncias

elongatam vidi, in vivo contiguam et in superficie undulatam, siccitate vero rimosissimam. Fibrae ambitus tenues, admodum densae, obscuriores pannum contiguum sistunt, quo undique limitata at non marginata, ut *C. crinitum.*

Seorsim notare superfluum duco quasdam species cosmopolitas *C. incarnatum, C. cinereum* — aliasque minus evolutas de industria transeo.

GUEPINIA. Epicr. p. 566.

1. G. SPATHULATA. Epicr. p. 566.

In Mexico! et per omnem Americam boreal. frequens.

Haec, cum *G. Helvelloide* comparata, pusilla species est et quasi mater multarum peraffinium recentius distinctarum, ad quas etiam accedunt sequentes, evidentiores.

2. G. CANALICULATA, dense caespitosa, stipitibus elongatis teretibus sursum dilatatis in pileum lineari-spathulatum, supra canaliculatum, siccitate albovelutinum, hymenio infero concolori, demum simpliciter plicato.

Ad truncos in Costa Rica. *Örsted.* n. 58.

Omnia, quae vidi, specimina in spiritu vini servata erant et tum fungus undique similaris videbatur et homogeneus, glaber, pallescens, mollis, at non gelatinosus. Semisiccatus colorem *Clavariae ligulae* obtulit siccusque demum pileus stipesque pro more tenuissime albo-pruinosi subvelutini, hymenio glabro infero, primo laevi, demumque una alterave modo plica simplici recta longitudinali instructum. Substantia vix gelatinosa, hymenio ceraceo (nec laete colorato) potissimum dignoscitur. Statura in genere prioris, sed caespites majores, stipites 3—4 lin. longi, subteretes, erecti; pilei canaliculati, passim bifidi, stipite breviores, erecto-obliqui; hymenium gilvo-opacum.

3. G. SIMPLEX, subglabra, lutea, primo tereti-clavata, dein compressa, demumque lateraliter depressa obliqua, hymenio demum longitudinaliter striato.

Ad sarmenta lignosa (lianer) emortua, per cortices erumpens, in Costa Rica. *Örsted.*

Haec ad praecedentes accedit, ut *Calocera glossoides* ad *C. corneam,* et species clare distincta, licet generis minima. Individua in eodem sarmento numerosa, sed omnia inter se distantia; in spir. vini tota lutea et glabra, iterum exsiccata colorem non mutat, partes vero steriles tenuissime albo-pruinatae, ut color luteus transluceat. Stipes clavula vulgo brevior, lineam longus, teres, erectus. Clavula primo verticalis, Pistillariam referens, mox compressa (altero latere sterilis), semper simplex, demum depressus semi-

infundibuliformis, sed haud ultra lineam latus. Hymenium in adultis plicis simplicibus subtilibus modo striatum.

Cyphella. Epicr. p. 566.

C. pendula (P. digitalis *Schwein.*) e genere naturalissimo deleatur (Cfr. Summ. Veg. Scand.); est nempe forma sterilis *Polyp. cupulaeformis.* Berkel. et Curt.!

Hypochnus. Epicr. p. 569.

1. H. rubrocinctus. Ehrenb. — Epicr. l. c. cum syn.!

In Costa Rica. *Örsted.*

Triclinium Fee Crypt. exot. p. 147. t. 34. f. 1. est thallus Parmeliae cujusdam destructus. In Costa Rica quoque legit *Örsted.*

Clavaria. Linn. — Epicr. 570.

1. C. nigrescens, ad basin usque divisa, glabra, cinnamomea, sicca lignosa sulcato-lacunosa nigrescens, ramis solidis crassis subramosis obtusis.

In insula Maderae. *Kamphövener.*

Species insignis, at ut varii fungi carnosi ad specimina sicca aegre describitur. Sed plures adsunt species e terris calidioribus, in vivo laete coloratae, siccae vero fuscae l. nigrae, peculiarem hujus generis facile stirpem exhibentes. Ad basin usque divisa praesens in ramos paucos adscendentes, inaequales, parum divisos et apice obtusiusculos. Substantia in vivo carnosa sed in siccis valde contrahitur et hinc tota longitudinaliter sulcata, color in vivo cinnamomeus. Sporae desunt.

2. C. fuscescens, a basi tenui ramosissima, glabra, pallida, sicca fusca, ramis teretibus solidis multifidis filiformibus laevibus apice subulatis.

Ad Mirador regni Mexicani ad truncos putridos. *Liebman.*

Juxta *C. pyxidatam* videtur inserenda, sed sporae ignotae. Admodum gracilis, $1\frac{1}{2}$ unc. alta, maxime et repetito-ramosa, sed omnes rami filiformes, undique glabri. Sicca mollis et flaccida.

Similis species lecta (ad terram?) ad S. Bartolini, Trapede de la conception, colore non diversa, sed ramis intricatis crispulis, ceterum *C. crispulae* simillima.

3. C. polita, a basi ramosa, glabra, albida, sicca rigido-fragilis, pallescens, ramis fistulosis parce divisis inaequalibus acutis.

In Mexico ad Zuacapa. *Liebman.*

Habitus peculiaris, politus, fere Corallinae. Caulis a basi solutus in ra-

mos pauciores, parce subdichotomos, teretes l. in axillis compressos, longitudine inaequales. Sicca polita et nitida est, at colorem non mutat.

PTERULA. Fries in Linn. 1830. Summ. Veg. Sc. p. 339.!

Merisma (pr. p.) Leveill. in Ann. Sc. Nat. 1846. nec Alior.

1. P. DENDROIDEA, ramosissima, pallescens, ramis teretibus patulis, hymenio vestitis, apice compressis sterilibus rubellis. *Clav. dendroidea.* Jungh. Jav. p. 33. f. 20.

In insula Java. *Junghuhn.*

Species distinctissima, manifeste tamen *simplicis* et Europaeae *Pterulae subulatae* l. c. congener. Cum Merismatibus P. hae plantae neutiquam comparandae. A Clavariis differunt non modo substantia et apicibus sterilibus, sed praecipue hymenio heterogeneo, ramos circumcirca vestiente, e sporophoris tetrasporis exsertis quasi villoso- l farinoso-corticatis.

Reliquas ad hoc genus referendas species, quatenus mihi innotuerunt, in S. V. Sc. recensui; alias addidit Cel. Leveille.

CALOCERA. Epicr. p. 580.

1. C. FLAMMEA, caespitosa, flammeo-rosea, clavulis simplicibus subulatis laevibus, basi pallidioribus glabris.

Ad truncos in Costa Rica. *Örsted.* ic. 40.

C. corneae affinis, vix diversa nisi colore pulcherrimo et clavulis longioribus ultra unciam longis, a basi in apicem acutum aequaliter attenuatis.

HIRNEOLA. Fung. Nat. p. 25.

Hoc genus ab Exidiis genuinis et Europaeis, cum quibus numerosae hujus species terrarum calidiorum confusae sunt, plane est diversum substantia, structura, hymenio numquam heterogeneo-papilloso! Multo magis mihi videntur affines Auriculariis, in quibus vero hymenium definite inferum (in Hirneolis et Exidiis definite superum), pileus coriaceus subzonatus etc. Hirneolae humectatae reviviscunt tremulae, sed non gelatina distentae uti Exidiae et plurimae Auriculariae. Discus insuper discretus et distincte marginatus, ut tantum ascorum defectu separentur a Discomycetibus. — De FEMSIONIA, forma quoque simili, sed structura disci Dacrymycetis, confr. observationem sub Corticio.

1. H. POLYTRICHA. Fung. Nat. p. 26. *Exidia.* Montagn. — Jungh. Jav. p. 25. f. 23.

Ad San Joce in Costa Rica. *Örsted.*

Specimina iis ex India orient. magis speciosa, extus pulcherrime et dense canovelutina (semper azona, ut reliquae, quo ut etiam forma Pezizoidea omnes ab Auriculariis primo obtutu differunt); disco adulto una alterave costa elata plicato, in sicco spadiceo nigro, humectato purpurasente. Valde elegans species!

2. H. NIGRA l. c. *Peziza.* Swartz.

In insula Oahu. *Didrichs. n. 41.*

E larga speciminum copia maxime variabilis, etiam *stipitata!*, a priori tamen conspicue diversa et ab *E. rufa* indumento paginae sterilis velutino cano facile separatur.

3. H. TENUIS l. c.? *Exidia.* Leveill. Ann. Sc. Nat. 1844. p. 199.

Cum praecedente.

Characteres hujus speciei, subtus glabratae, at ceterum parum a priori cosmopolita distincta, vix tenuior, hinc dubitamus an genuina sit planta.

TREMELLA. Epicr. p. 588.

1. T.? GEOPHILA, foliacea, laciniata, crispotortuosa, rugosa, rubro-flava.

Ad terram in Guinea. *Afz. ic. f. 29.*

Nullo praesente specimine (tantum ic. et sched. Auct.), ut accurata analysi subjiceretur, omisi in Epicr., sed habitu prorsus congruo cum T. Berk. paucis notavi.

2. T. SARCOIDES. Epicr. p. 589.

E Mexico forma *adultior* foliacea (nec clavata!) pro *Tr. foliacea* facile sumenda. *Corynes* differentia nulla est (etiam *Cl. mesenterica* variat clavata et *T. fimbriata* est verticalis!); sed heterogenea ad Corynes recentius ducta.

Obs. 1. Örstedii ic. n. 46 *Dacrymycetem*, colore sordide rubello, omnino refert, at nullo praesente specimine genus certo eruere non licet.

Obs. 2. NAEMATELIA *virescens* Cord. ic. III. f. 90. in Suecia numquam lecta est et plane diversa a *Dacrym. virescente* in asseribus putridis cum *D. caesio*, *stillato* etc. mixta ejusdemque structurae!; semper absque nucleo Sclerotioideo et sporidiis pedicello contiguis Naemateliae.

DISCOMYCETES. Cfr. Summ. Veg. Scand.

Missis quibusdam vulgatissimis speciebus, ut *Peziza scutellata* e Mexico, *Helotio virgultorum, Tubercularia vulgari* ex India occid., quas singulatim non citem, paucae in his collectionibus exstant.

1. Morchella semilibera. Dec. — S. M. II. p. 10.

In Mexico.

E charactere hujus loci sit vel potius *M. distans* S. Veg. Sc., quae simillima non differt nisi pileo ad basin adnato, at margine a stipite distante. Omnes Morchellae formis mediis mire junguntur, nec ulli stricti limites inter species pileo toto l. ad medium libero et adnato. — *M. caroliniana* videtur *Gyromitrae* species, quod genus Morchellis proprius est quam Helvellis.

2. Mitrula elegans. Berk. Dec. 109. sub Leotia.

Ad Ohio legit *J. Lindblom.*

Valde affinis *M. paludosae*, cujus genuinam expositionem primus dedi in *Liljebl. Sv. Fl. 1815,* ubi quoque genus limitatum. Sub Leotia valde diversi confunduntur fungi. *Hillius*, Auctor, sub hoc nomine modo intellexit Tremellinam *Leot. lubricam,* cui nomen igitur necesse servandum. *L. circinans, marcida* etc. genus Cudoniarum sistunt, reliquae Mitrulae. E hac grege prorsus excludendae *Helvella amara* et *H. nana* With., ob paginam inferiorem saturatius coloratam, ne Helvellaceae quidem sunt, sed potissimum Hymenomycetes. *H. infundibuliformis* Schaeff. ex Corda sit subtus ascigera! et novi generis typus (*Cucullaria* Cord. Anleit. p. 192), quale vero in rerum natura certe non existit! Mire vero habitu convenit, licet singulis partibus crassior, cum

* Discina scrobiculata, excipulo peltiformi orbiculari, disco fuligineo depresso versus ambitum convexo-reflexo, subtus albo ad stipitem brevissimum scrobiculato.

Ad terram silvarum circa Upsaliam aestate, in societate *Helvellae pullae.* Julio.

Disc. perlatae minor et tenuior, ceterum ad eundem typum formata, pelta vero ejusdem more terrae non adpressa. Stipes farctus, 1—2 lin. longus et aeque fere crassus, basi terram in bulbillum atrum conglobans, sursum in peltam orbicularem $1\frac{1}{2}$ unc. et ultra latam, omnino horizontalem et immarginatam, medio late et sat profunde depressam, versus ambitum vero deflexam (non vero involutam) dilatatus. Subtus, uti stipes, candida est,

sub lente tenue flocculosa et prope stipitem foveis subrotundis scrobiculata, quarum una alterave in stipitem descendit, at subtus non costato-venosa est. Discus supra scrobes bullatus est, ceterum laevis, e griseo fuligineus, siccus murinus. Asci elongati, ampli, sporis oblongis, exacte Helvellarum. Substantia ceraceo-carnosa, fragilis, alba.

3. Peziza costata, sessilis, subcontorta, e dilute griseo albescens, subtus alba, jugis a basi radiantibus elevatis ramosis costata.

In Ohio Americae borealis (*Lindblom*) — etiam copiose in Horto Botanico Upsaliensi una cum *Pez. Helvelloidis* var. minori, *P. sepulta* (Cfr. Summ. Veg. Sc.) *Augusto* pluvio. *El. Fries*, filius.

Ut prior ad *Discinam perlatam*, haec ad *P. venosam* accedit, at reipsa *P. Acetabulo* proxima, a qua tamen differt cupula sessili, demum valde expansa (2—3 unc. lata) undulata, difformis, interdum reversa et immarginata (junior tamen semper cupularis marginata), admodum fragili et colore e dilute griseo albescente. Stipitis rudimentum costaeque semper solidae. *P. venosa* multo firmior est et crassior, discus saepe costatus; at in *P. costata* tenuiori discus semper laevis. Exsiccata valde diminuta, obscurata, aegre recognoscenda. Asci et sporidia omnino *P. Acetabuli!* Descripsi ad specimina Upsaliensia viva, a quibus exsiccatis Fungus Ohioensis non distinguendus.

* P. majalis, ceracea, urceolato-campanulata, regularis, extus nudiuscula subconcolor, stipite brevi albo, margine prominulo flocculoso-crenato, disco aurantiaco.

Ad terram nudam juxta fossas, vere, circa Upsaliam. *Th. Fries*, fil.

Inter multas nobiles Pezizas nuperius lectas hanc et sequentem hoc loco inseram utpote subsequenti (et *P. cupulari* L.) affines, sed haec coloribus ad Humarias accedit. Catervatim nascitur, et saepe stipata, 3—4 lin. alta lataque, sed siccitate contrahitur, et in hoc statu extus alba et stipes albovillosus apparent. Cupula ceterum nudiuscula, laevis, forma urceolata insignis, margineque discum excedente crenato pallidiori. Asci elongati, sporae simplices, laeves.

* P. contigua, ceracea, elongato-turbinata, alutaceo-argillacea, extus nuda deorsum contigue attenuata in stipitem firmum albidiorem, margine crenulato, disco urceolato concolori.

Cum praecedente et *P. tuberosa* ad terram vere. *Th. Fries.*

Praecedenti affinis, at praeter colorem diversissimum (quoddammodo *Clavariae ligulae*) differt stipite 2—3 lin. longo (cupula longiori) sursum in-

crassato et in cupulam vix ventricosam ampliato, glabro, laevi, pallido, ut totius fungi forma clavata, nec abrupte in cupulam ampliata. Margo junior crenulatus. Asci et sporae prioris. — Numerosas epiphytas et ignobiliores species novas hoc loco nimis deduceret notare.

4. P. Afzelii, ceraceo-membranacea, glabra, alutacea, ex urceolato calyciformis, in stipitem brevem aequalem attenuata, disco obscuriori, margine squamuloso-denticulato.

Ad terram in Guinea. *Afz. ic. f. 50.*

Proxima videtur *P. Hindsii* Berk. in Lond. Journ. I. t. 25. a, sed cupula forma et magnitudine (3—4 lin. lata) *P. Ciborioidem* aequat, at stipes brevissimus (1—2 lin. tantum), color pallidus et margo ciliato-denticulatus; sed ciliae reipsa sunt squamulae triangulo-acuminatae, basi planae, tenuissimae, quare primo obtutu cilias referunt. Affinitas non satis liquet; sporae videntur oblongae, at nimis parca et incompleta adsunt exemplaria.

5. P. macrochaeta, sessilis, ceraceo-membranacea, cupulari-hemisphaerica, subtus venis anastomosantibus subtiliter reticulata setisque raris validis elongatis adspersa, disco laevi.

Ad terram in Costa Rica. *Örsted.* n. 49.

Specimen in spiritu vini servatum, extus intusque lividum, *Pez. hemisphaericae* colore, forma et magnitudine simillimum, sed valde insignis setis validis et sparsis, sub microsc. admodum rudibus, opacis, non septatis, longitudinaliter striato-pellucidis. Asci manifesti, lineares; sporae rotundatae, uniocellatae, sed inordinatae et quasi collapsae — ex aetate vel maceratione in spir. vini.

6. Helotium rhodoleucum. Syst. Myc. II. p. 125.

In Antillis *(Benzon)*, Suecico exacte simile.

Huic affine nostrum *H. fimetarium*, vere ascigerum, sed d. Persoon cum Stilbo quodam commutavit, ut in S. M. p. 157 jam observavimus.

7. Angelinia conglomerata. Summ. Veg. Scand. p. 358. *Ascobolus conglomeratus.* Schwein.!

E Carolina. *Schweiniz.*

Planta, sub hoc nomine a Rev. *Curtis* missa, externa facie quidem simillima est, modo dense gregaria nec ita in acervulos collecta; sed etiam diutius madefacta non turget et gelatinoso-tremula fit, cum *Angelinia* humectata gelatina maxime turget ut Exidia, et expanditur in formam subor-

bicularem. Curtisii planta est *Hyst. rufescens* Schwein., cujus nexus cum Angelinia ulterius observandus est. In speciminibus hujus maceratis nullos ascos reperio, tantum texturam dense floccosam e paraphysibus tenuibus erectis stipatis.

8. Schmitzomia *pupula.* El. 2. p. 25.

In America boreali.

Ob excipulum suberosum, disco pallidiori (si inter Sticteos adest excipuli rudimentum, hoc semper nigrescens v. c. in *Xylographa, Propoli farinosa, Sticti atrocyanea)* et praecipue disci morphosin hoc genus necesse a Sticteis excludatur et ad Dermateos referatur. Spec. Americana nostris simillima sunt et *Lichenopsis* Mont. Curt.! affinis species?

9. Tubercularia pachypus, stipite exserto lentiformi albo latiori, quam disco convexo laevi immarginato coccineo.

Ad ramos dejectos in Costa Rica. *Örsted.*

Nimis affinis *T. vulgari* et forte varietas, sed stipitis forma notabilis.

10. Urnula minor, coriacea, subfasciculata, primo turbinato-clavata, extus albo-pruinosa, stipite brevi nigro; dein dehiscens, ore obliquo lacero-dentato, disco urceolato pallido.

In Guinea ad terram. *Afz. ic. n. 28.*

Gratissimum est addere alteram ratam speciem singularis hujus generis! Inventor in statu primario pro Clavaria habuit. Ab *U. Craterio* differt statura multiplo minori, cupula turbinata, extus e pruina albida et, quantum e paucis specim. videre licet, defectu insignis mycelii byssacei. Stipes admodum tenuis, lineam l. paulo ultra longus et sensim (nec abrupte ut in *U. Craterio)* in clavam dilatato, nudus, niger; paucis basi junctis. Cupula membranaceo-coriacea, primo omnino clausa, dein ore indefinito lacero-hiascens, ore obliquo dentato-lacero, extus e pruina pallida. Asci et sporae nullae adsunt, sed floccorum s. paraphysium densa congeries, exacte similis *U. Craterii* clausae ex Am. boreali. Sporidia illa seriata in Schwein. synopsi picta primitus intra ascum generata potius fingerem, quam ex ascis ipsis in sporas moniliformes constrictis.

11. Heterosphaeria Patella. Grevill. Cr. Scot. t. 103.

In Mexico in Orizaba. *Liebman.*

Magnopere insignis ob fructificationem duplicem, alteram sporophoris apice monosporis, sporis in guttulam secedentibus, alteram perfecte ascigeram — nec aliter differunt Sphaeria punctiformis et Depazea punctiformis

etc. — et negari tamen nequit, *illas eandem sistere speciem.* Haec frequens est ratio inter *Cryptomycetes* (= Gymnomycetes et Haplomycetes, addita Pyrenomycetum serie inferiori) — et inter Lichenes et Phyceas notissimum est, in eadem specie duplicem vel triplicem existere fructificationem! Inter has vero thallo conformi facilius junguntur quam inter Cryptomycetes, inter quos tamquam autonomae plantae vulgo in diversos ordines et genera separantur. Hinc non sufficiunt vel accuratissimae analyses, sed magis necessariae sunt observationes in vegetationis rationes et maxime plenum physiologicum studium, ut partium genesis rite percipiatur.

12. Neuroecium Degueliae. Kunze! in litt. S. V. Sc. p. 370.

In foliis Degueliae scandentis in America calidiori. *Kunze.*

Nobile hoc genus refert Hysterium maximum, innatum, sed in ambitu floccis brevibus, Lembosae instar, cingitur. In statu sicco perithecium late hiat, sed irrigatum claudit labia! Structuram aliter quam inventor observavi. In thalamio crasso, fibroso-floccoso observantur sporae magnae, ellipticae, continuae (nec septatae), succinei coloris, fasciculatim congestae et saepe in clavas dispositae, ut necesse mihi videatur eas primitus intra ascum amplum, at resorbtum, esse generatas.

13. Rhytisma velatum. S. M. II. p. 568.

In Ilicibus Americanis. Specimina in *I. opaca,* a Rev. *Curtis* missa, Phacidium l. Hysterium, utriusque enim more dehiscunt, potius referunt. Asci, immixtis paraphysibus copiosis, *in foliis vivis!* jam bene explicati. sporis subglobosis pellucidis.

14. Leptostroma juncinum. S. M. II. p. 598.

Ex America boreali! Iterum iterumque observem, ex hoc genere excludendas omnes maculas nigras steriles, quibus conspurcatum est; *omnes nostrae disciferae,* secedente integumento atro, visae sunt. Asci reducti, basi fixi, vulgo sporidia dicuntur; verae sporae raro obviae.

15. Stictis Phacidioides. Desmaz. in Ann. Sc. Nat. 1845. p. 369. sub Cryptodisco.

In ramis Negundinis in America! *Cryptodiscus* Cord. est typica Stictis, nomenque, bene cognito Umbelliferarum generi jam impositum, est rejiciendum.

Plures novas, iconibus illustrandas, ad fasc. sq. seposui.

PYRENOMYCETES.

CORDYCEPS. Fr. — S. Veg. Sc.

1. C. ROBERTSII. Hook. — Berk. in Lond. Journ. II. sub Sphaer. *S. Hugelii.* Cord. Ic. IV.

Ex India Orientali plura specimina dedit Cel. Professor *Sundewall.*

Nostra specimina fere spithamaea, ut *C. Gunnii* Berk. Dec. n. 199. t. 22. f. 1., sed colore et sporis ad hanc speciem spectant.

* *C. sinensis* s. Sphaeria. Berk. in Hook. Lond. Journ. II. t. 8. f. 1. Antiquitus adest specimen in Mus. Holm. Haec et *C. Taylori* l. c. f. 2. peculiarem sectionem, apice sterili, inter Cordicipites Entomogeneos sistunt.

XYLARIA. S. Veg. Scand.

Hujus generis jam innotuerunt 60 species, quare in quattuor tribus dividere necesse est, nempe A.) clava undique fertili a) stipite glabro (= *Xyloglossa*); b) stipite vestito (= *Xylocoryne*): B.) clava apice sterili a) stipite villoso (= *Xylodactyla*); b) stipite glabro (= *Xylostyla*). Hae sectiones variis aliis notis simul suffultae sunt, sed asci et sporae (simpliciter seriatae, oblongae, saepe curvatae, opacae, raro septatae) vix differentias praebent. In duobus tribusve ex infra descriptis ascos videre tantum contigit, in reliquis peritheciis evacuatis jam sine dubio resorbti sunt.

1. H. (XYLOGLOSSA) EUGLOSSA, stromate clavato nudo sursum incrassato obtuso laevi argillaceo ex ostiolis subtilissimis nigro-punctato, intus centro albido-cinereo, in ambitu nigricante, peritheciis totis immersis subglobosis atris, stipite tenui elongato glabro nigricante.

In Costa Rica. *Örsted.*

Forma *Geoglossi difformis*, at major, 3 unc. et ultra alta; *sicca* saltim saepe arcuato-incurvata l. torta, durissima et fere lapidea ut sequens, longitudinaliter rugosa. Stipes ultra unciam longus, crassitie vero lineam parum excedens, aequalis, glaber, nigrescens, siccus longitudinaliter rugosus. Clava forma et colore, magis vero squalente-pallido, *Clavar. ligulam* refert, sursum incrassata et obtusa, proprie videtur atra sed colore alutaceo-argillaceo quasi oblinita, a stipite subdiscreta. Asci tenues, lineares, vulgo resorbti; sporae uniseriales, oblongae, utrinque acutae, eseptatae, opacae, passim curvulae.

2. X. (XYLOGL.) TURGIDA, stromate suberoso indurato ovali sordide gilvo ex ostiolis prominulis nigro-punctato, ceterum laevi, intus cinereo, sti-

pite tenui brevi glabro nitente, peritheciis immersis globosis periphericis.

In insulis Nikobaricis. *Didrichs. n. 22.*

Praecedenti affinis, sed habitu et forma magnopere recedens. Stipes pro ratione admodum brevis et tenuis (2—3 lin. longus, vix 2 lin. crassus), torulosus, undique crusta vernicea tectus, contiguus cum clava maxima ovali, $1\frac{1}{2}$—2 unc. longa, unciam et ultra crassa, in specc. praec. oblique deflexa subhorizontalis et quasi collapsa (i. e. compressa et utroque latere concava). Substantia in siccis durissima, fere lapidea, intus sordide albida, in peripheria peritheciophora vero nigra. Superficies laevis est, colore peculiari gilvo-isabellino tincta, nigropunctata et e gelatina profluente per latas plagas nigrovariegata. Perithecia globosa, tota immersa absque collo, atra — in sp. praes. evacuata, ascis resorbtis. *Sporae* prioris, sed conspicue minores, nec septatae. — *Xylaria Kegeliana* s. Sphaeria Leveill. in Ann. Sc. Nat. 1846. I. p. 256 videtur affinis.

3. X. Poitei. *Sphaeria.* Leveill. l. c. 1845. I. p. 10.

Ex ins. S. Crucis. *Benzon.*

Tam loco, quam descriptione adaequatis de synonymo non dubitamus, sed nostra duplo fere minor.

4. X. (Xylogl.) protea, stromate suberoso-indurato lanceolato obtuso corrugi nudo atro, intus albo, stipite tenui aequali glabro, peritheciis globosis subimmersis periphericis, ostiolis prominulis depresso-hemisphaericis.

Ad truncos in Costa Rica. *Örsted.*

X. corniformi El. 2. p. 57. similis, sed haec ob stipitem obsoletum basinque villosam ad stirpem X. digitatae referatur. Stipes hujus, ut priorum, tenuis, glaberrimus, laccatus, fragilis, ut vix integer adsit, lin. crassus, in siccis longitudinaliter cavernoso-rugosus. Clava sesqui-unciam circiter longa, 3 lin. crassa, obtusa, nuda, opaca, atra, primo obtutu (exsiccatione?) rimoso-corrugata sed superficies e peritheciis parum prominulis dense colliculosa, qui colliculi cum papilla depressa mammas virgineas referunt. Intus alba est. Perithecia majora, exacte globosa, peripherica, minus regulariter disposita, nucleo atro farcta. Asci et sporae fere primae speciei, et in genere hi in hoc genere naturalissimo vix alias, quam comparativas, differentias offerunt; nam utrum sporae uniseptatae an simplices e varie statu pendere videtur, quod singulare cum inter Cordicipites multiplex exstat varietas.

Utrum haec nova sit, an multas affines colligat, nescimus. *X. Geoglossa* Schw. Am. p. 188 bene convenit, sed stipite squamuloso recedit. *X. Cubensis* Mont. Cub. t. 13. f. 1. habitu simillima, sed minor intus fistulosa, aliter colorata; perithecia longe minora. *X. lingua* Leveill. l. c. 1845. I. p. 41. non nisi notis levioribus recedit, at vix eadem; et *X. retipes* Ejusd. 1846. I. p. 257 etiam affinis. Omnes sub Sphaeria Auctt.

* X. FISTULOSA. Leveill. l. c. p. 1845. I. p. 51. sub Sphaer.

Haec est species stipite, crusta laccata, colore etc. clare diversa, inter priorem et sequ. media.

5. X. (XYLOGL.) SIPHONIA, sessilis, verticalis, cylindrica, stromate cavo! aequali obtusiusculo laevi glaberrimo aeneo-fusco, ex ostiolis prominulis nigro-punctata, peritheciis periphericis globosis.

Ad ligna muscosa in Pulo Milu. *Didrichs. n. 52.*

Cum *X. papyrifera* Fr. in Linn. 1830. p. 536. comparanda, sed statura, substantia priorum rigido-indurata aliisque notis abunde diversa. Stipes plane nullus; basis quoque glabra est. Stroma vero verticali-elongatum, exacte cylindricum, crassitie ubique aequali, 1—1½ unc. longum, 2 lin. crassum, undique usque ad basin peritheciis tectum; intus prorsus cavum est, restante tantum pariete tenui peritheciophoro atro, ad latus vero interius cano; singulare tamen, hanc exsiccatam neque collabi, neque corrugari, neque supra perithecia colliculosam observari, sed superficies aeneo-fusca nuda ex ostiolis minutis et parum prominulis nigro-punctata. Asci resorbti, sporae oblongae, opacae, simplices.

6. X. (XYLOGL.) CURTA, subsessilis, verticalis, oblonga, solida, atra, stromate turgido obtuso papuloso-corrugato, intus solido albo, peritheciis globosis immersis periphericis, ostiolis papillaeformibus.

Ad truncos in insula Oahu. *Didrichs. n. 28.*

Ad *X. polymorpham* substantia et coloribus revergit, at re ipsa *Hypoxylo globoso* proxima, quamvis forma manifeste alia, verticalis, ovato-elongata, sursum nempe attenuata, nec incrassata. Stipitis rudimentum nunc adest, nunc deest; basis semper glabra. Stroma ½—¾ unc. altum, 3 lin. l. parum ultra crassum, e papulis supra singula perithecia corrugata, opaca. Ostiola in his papulis minutis, stipatis papillaeformia, sed perithecia majora irregulariter peripherica, nec in strato proprio immersa. Stroma fibrosum, album, firmum, at non carbonaceo-induratum. Nucleus atro-farctus, ascis et sporis X. polymorphae similibus, at minoribus. — *X. echinata* Leveill. l. c. 1845. I. p. 43. sat convenit, sed videtur diversa; nil enim echinati in tota planta adest.

A *Xylaria Gompho* (El. 2. p. 54) ad *X. curtam* exstat longa et naturalissima series specierum nobilissimarum; sed accuratior et comparativa omnium revisio necessaria est. Utile duco hoc loco recolligere species, sub Sphaeria admodum dispersas, ad *Xyloglossa* referendas. Sunt praeter supra descriptas l. indicatas saltim, *X. gigantea* Zippel., *X. tabacina* Kickx (aff. n. 1), *X. Gardneri* Berk. Dec. n. 190, *X. allantodia, X. Telfairii, X. obovata* Berk. in Ann. Hist. Nat. III. p. 397, *X. guianensis* Mont. Cent. II. n. 27, *X. enterogenum* l. c. n. 25, *X. rhizocola* l. c. n. 28, ?*X. anisopleurum* l. c. n. 32 etc. Tribum novam exhibere videntur species basi peltata adnatae, quarum h. l. citandae *X. clavulata* Schw. Am. p. 188. omnino mirabilis, *X. platypoda* Leveill. l. c. 1845. I. p. 40, *X hyperythra* Mont. Cent. II. n. 26. Cfr. Ceterum Rhizomorphas.

7. X. (Xylocor.) fastigiata, dense caespitoso-connata, fistulosa!, atra, stipitibus elongatis compresso-inaequalibus e leproso glabratis, clavulis contiguis brevibus oblongis cylindricisve obtusis papilloso-scabris, peritheciis immersis periphericis globosis, ostiolis papillaeformibus.

Ad truncos in Costa Rica. *Örsted.*

Manifeste affinis *X. scruposae* (El. p. 55) et *X. multiplici* (Linn. 1830. p. 536); plurimae hujus gregis dense caespitoso-fasciculatae, aliae vero v. c. *X. corniformis* El. simplices sunt. A priori stirpe fragilitate et jam habitu ceterum differunt, stipites per aetatem saepe glabrescunt, ut e nota artificiali facile confundantur. — Praesens admodum fragilis est, intus tota continue fistulosa. Stipites densissime stipati, basi conjuncti et saepe ramoso-concrescentes ceterumque valde difformes: compressi, angulati, saepe torulosi et flexuosi, unciam et ultra longi, lin. circiter crassi, non quidem villosi, sed primitus velamine subleproso-adpresso fusco obducti. Clavulae a stipite, in quo perithecia sparsa descendunt, non discretae, pro ratione parvae, parum turgidae, vix ultra 2 lin. crassae, inaequales nudae, fastigiatae, atrae. Perithecia in strato tenui peripherico nigro minora, globosa, leviter prominula. Asci resorbti, sporae oblongae, curvulae, opacae.

8. X. (Xylocor.) multiplex. Fries in Linn. l. c. Sphaeria *Kunz.* in litt.

In truncis in Mexico. *Högberg.*

X. antilopea et *X. retipes* et stipite scruposo et vegetatione potissimum hujus gregis sunt. Leveill. l. c. 1846. I. p. 256, 257 sub Sph.

9. X. (Xylodact.) dichotoma. Mont. Cub. p. 351. t. 13. f. 3.

In Antillis. *Persoon* sub Rhizomorpha.

Est e stirpe *X. hypoxyli* (L.), *X. carpophila* tenuior, et ramosa. — Ad

hanc stirpem insuper referendae: X. *Guepini* El. 2. p. 59 (nobilissima), X. *mucronata* et X. *persicaria*. Schwein. Car. et S. M., X. cornu Damae *Schwein. Am. p. 189. X. flabelliformis* l. c. X. *polycladia* P. X. *fulvovelutina* Berk. Lond. Journ. I. p. 154, X. *feejeensis* l. c., X. *microceras* Mont. C. 2. n. 33, cui affinis videtur X. *diceras* P., omnes sub Sphaeria.

* (Xyloc.) tenuissima. *Sphaeria* Zippel. — Ann. Sc. Nat. 1845. I. p. 44.

Singularis species hujus gregis, ad *Rhiz. hispidissimam* accedens, at praeter notas generis conspicue differt indumento stipitis non strigoso.

10. X. (Xylost.) tricolor, simplicissima, tenax, subulata, gracilis, longitudinaliter rugosa, undique glabra, basi nigra, medio fertilis cinerea, apice sterilis fulvella, peritheciis latentibus, ostiolis punctiformibus.

Ad truncos in insula Oahu. *Didrichs. n. 13.*

Catervatim nascitur, at nec caespitosa, neque umquam ramosa, 1—2 unc. et ultra longa, in longioribus flexuosa et sicca saepe torta, a basi ad apicem acutissimum attenuata et longitudinaliter rugosa; versus basin, lineam vix crassam, glabra, nigra, in medio cinerea, apice subgilva, nec pruinosa. Perithecia nondum bene evoluta. — Haec cum X. *filiformi* S. M., X. *subulari* S. Veg. Sc., X. *aciculari* Berk. Lond. Journ. I. p. 141, X. *gracillima* Fr. Linn. 1830. p. 1830, X. *furcata* (Sph. dichotoma *Leveill.* l. c. 1845. I. p. 45 nec Montagn.), X. *scopiformi* Kunz. alteram hujus tribus sectionem filiformem sistunt. X. *adscendens* Fr. Linn. 1830, X. *multifida* Kunz. etc. his quoque accedunt.

Prior sectio colligit species firmiores subclavatasque. H. l. sunt X. *bulbosa* P., S. M., X. *grammica* Mont. C. II. n. 23, X. *gracilis* Berk. Ann. H. Nat. X. p. 398, X. *escharoides* et X. *thyrsus* Berk. l. c. p. 385. c. ic. — E Subgenere *Fracidia,* cujus species in S. Veg. Sc. indicatae, nulla in his collectionibus adest species. Haec obiter de generis vastissimi et nobilissimi dispositione, mox fusius tractanda. Omisi X. *portentosam* Mont. Cent. I. n. 33 et X. *janthino-velutinam* l. c. 2. n. 34, cum a typo ad Rhizomorphas transeant peritheciis superficialibus. *Hypoxylon Sagraeanum* Mont. Cub. t. 12. f. 4 ex hac grege prorsus excludatur et ad *Leveillineas* (cum *Leveillea* nostra in multis convenit, forte *Piptostroma* Lev.) referatur.

Rhizomorpha. Roth. Cfr. S. Veg. Sc.

1. Rh. Americana. Summ. Veg. Sc. p. 382. *Sph. subterranea.* Schwein.! Am. p. 189.

Specimen sterile e Costa Rica indeque inter hanc et *Rh. guianensem* (Hypox. Rhizomorpha Mont. C. 2. n. 24) ambiguum.

2. Rh. (Cenocarp.) hispidissima, simplicissima, fragillima, usque ad perithecia depresso-globosa papillata strigoso-hispidissima, atra, apice tenuissimo subulato concolori.

In insula Nikobar majori. *Didrichs. n. 3.*

Singulis partibus mirabilis species, ad *X. filiformes* accedens, sed textura, fragilitate, stromate basi repente, peritheciis superficialibus et exogenis vera Rhizomorpha, eximie fructifera. Catervatim nascitur, at non caespitosa, adeo fragilis, ut integra aegre servetur, 2—3 unc. longa, a basi serpente adscendens, filiformis, sed ad medium e pilis stipatissimis elongatis strigosis rectangulo-patentibus hispidissima, undique aterrima. Perithecia optime evoluta, majora, sublibera, depresso-globosa, laevia, glabra, papillata. Asci elongati, sublineares, sporis seriatis octonis, oblongis, curvulis, eseptatis omnino Xylariarum, cum quibus hoc genus facile jungitur, sed ob habitum proprium et *priscam auctoritatem* servandum fingimus, — *Thamnomyces* sequitur in serie naturali, et huic *Camillea* v. c. *C. Leprieuri,* sed *Hypox. poculiforme* mihi anceps species, potius Leveillinea.

Poronia. Fr. Obs. et S. Veg. Sc.

1. P. Oedipus. Mont. Cub. p. 346. t. 13. f. 3. sub Sphaeria. *Sph. incrassata.* Jungh. in Hov. et Vries. Tidschr. VIII. p. 288.

In fimo equino in Antillis. *Benzon.*

Media inter *P. punctatam* et *P. pileiformem* Berk. sub Sph.

Hypoxylon. (Bull.) S. Veg. Sc.

1. H. (Pulvinata) obesum, carbonaceo-durissimum, nudum, atrum, stromate pileato lentiformi immarginato parum excedente stipitem crassisimum brevem, intus radiante cinereo-atro, peritheciis immersis periphericis bullato-prominulis, ostiolis papillatis, area orbiculari elevato-marginata cinctis.

Ad truncos in Costa Rica. *Örsted.*

Unicum adest specimen, sed magnificum, nobilissimi fungi; ob areolam vero orbicularem marginatam circa ostiola *H. annulato* (El. 2. p. 64) affinis. Durissimum est, unciam altum, adultum saltim undique nudum, glabrum, nitidum, atrum. Pars vero inferior sterilis s. stipes $\frac{1}{2}$ unc. altus, sed $\frac{3}{4}$ lin. crassus, extus rugulosus et deorsum attenuatus, in vertice obtegitur strato peritheciophoro, horizontali, leviter convexo, quasi pileato, immarginato tamen, unciam lato. Perithecia globosa, immersa, peripherica, levi-

ter bullato-prominula, at hae bullae cinguntur, margine prominente eximie orbiculari et in medio hujus areolae emergunt ostiola papillaeformia. Nudcleus prorsus evacuatus erat, remanente tantum tapetio candido; irrigatus nullo modo reviviscebat, ut ne sporas quidem detegere licuerit.

2. H. (Pulvinata) concentricum. (Bolt.) S. M. II. p. 331.

E Costa Rica *(Örsted.)*, Borabora et insulis Sandvichensibus maris pacifici *(Didrichsen)*.

Hujus numerosae formae, omnes exoletae, undique fere terrarum reportatae, inter se utique nonnihil differunt, sed notis fidis hactenus distinguere non licuit. Specimina praesentia *S. Eschholzii* Hor. Phys. Ber. t. 18. f. 8. spectant. — At *S. concentrica* Wahl.! Fl. Lapp., etiam in Smolandia et Uplandia lecta, semper atra, rigido-durissima persistens nec demum fragilis, vere perennis, sporis foede atro-inquinans (ut miles hoc fungo ad mystaces atrandas saepius usus sit!), distinctam sistit speciem, *H. durissimum* S. Veg. Scand.

3. H. (Pulvinata) compunctum, maximum, rotundatum, basi constrictum extus intusque albidum, stromate e »carnoso« suberoso a basi radiante, peritheciis immersis periphericis uniserialibus ovatis ostiolisque punctiformi-prominulis nigris. *Sphaeria*. Jungh. Jav. p. 21. f. 12.

In insulis Nikobaricis rarissime.

Colore a priori longe distat, at structura fibroso-radiante hujus gregis.

4. H. (Pulvin.) globosum. S. M. II. p. 331. *H. pilaeforme*. Berk. et Curt. in Sill. Journ. 1850. p. 95. e descr. exacte.

Inter alios fungos ex Oahu *(Didrichsen)* hujus quoque adest indubium specimen.

Priori longe minor extusque atra, sed stroma idem est. Subinde stipitata — et transitum praebet ad Xylarias.

5. H. (Pulvinata) marginatum *β. depressum*. El. 2. p. 64.

In Mexico. *Liebman*.

Hanc formam a sua *Sph. marginata* distinxit *Schweiniz*, at non differt nisi stromate effuso.

6. H. (Anthrac.) obularium, immersum, erumpens, demum late effusum, determinatum, applanatum, impolitum, stromate proprio atro, peritheciis immersis oblongis, ostiolis hemisphaerico-prominulis umbilicatis.

Ad truncos arborum mortuos in Costa Rica. *Örsted*.

Proximum *H. nummulario* Bull., at diversum stromate cum matrice (etiam

in ambitu) connato, nec demum secedente, primo subrotundo, dein in plagas latas, vulgo elongatas, concrescente, superficie impolita opaca, peritheciis magis elongatis, ostiolis depressis. Specimina copiosa adsunt, at omnia evacuata, ut ne sporarum vestigia quidem detegere licuerit. Haec species cum *H. nummulario*, *H. virgultorum* aliisque novam praebent tribum (*Anthracinorum*), quae a Glebosis differt, ut Effusae a pulvinatis. Ob vegetationem immersam externa facie prope ad Diatrypes accedunt, sed indoles omnino Hypoxylorum, stroma omnino proprium carbonaceum nec a matrice formatum, sporae obscurae septatae pulveris atri instar explosae.

Longa series specierum affinium tam hujus generis, quam *Diatrypes*, *Valsae*, *Endothiae*, *Melogrammatis* etc. in seq. fasc. describentur. In his vero collectionibus nullae adsunt.

NECTRIA. S. Veg. Sc.

1. N. CORRUSCANS, dense stipata in plagas late effusas superficiales, subiculo nullo, peritheciis firmis globosis laevibus coccineis, ostiolo obsoleto, demum collapso umbilicato.

Ad truncos putridos in Guinea *Afz. ic. 51.*

Dense congesta, more *Sph. pulveris pyrii* l. *pulveraceae*, at in maculas magis regulares disposita, colore coccineo corruscans. Ceterum *N. Pezizae* proxima, sed minor, firmior, basi omnino glabra. Ostiolum pallidum, passim globulo villoso albo instar *N. Pezizae villiferae* coronatum. Asci et sporae simplices, globosae, pellucidae, Hypocreae *gelatinosae* similes.

SPHAERIA. S. Veg. Sc.

1. S. (BYSSISED.) LEPRANTHA, peritheciis hemisphaerico-globosis congestis connatisque laevibus glabris atris, subiculo floccoso-leproso fusco-atro impositis, ostiolo papillaeformi in areola minuta submarginata prominulo.

Ad cortices dejectos in insul. Nikobar. *Didrichsen.*

Habitus *Sph. aquilae* aut potius *Sph. mammaeformis*, sed ob perithecia saepe acervatim connata cum *S. incrustante* potissimum comparanda. Perithecia igitur inter majora generis et ab omnibus vicinis differunt areola instar *H. obesi* et *annulati* circa ostiolum; haec vero areola longa minor est margineque tenuiori minus prominulo cincta, quam in speciebus citatis. Subiculum non byssino-expansum, sed floccoso-leprosum, interruptum, disparens, primitus vero perithecia obtegens. Asci longe pedicellati, clavato-lineares; sporae ellipticae, simplices, obscurae.

2. S. (PERTUS.) PERTUSAE (S. M. 2. p. 464) affinis.
Mexico ad Mirador. *Liebman.*

Nucleus evacuatus, ut ascos et sporas frustra quaesiverim, quare distinguere noluerim, quamvis perithecia tenuiora magisque immersa.

* S. (Immersa) inquilina. Fr. El. 2. p. 100.

Hanc speciem inter alias indeterminatam misit *Wallroth;* equidem primus determinavi, denominavi, descripsi. Fastidiens nisum, quamplurimis plantis suam adscribere siglam, hoc observare tamen cogor, ut sciant auctores me *candide et fideliter* indicare specierum auctoritatem. — Cfr. candiss. *Mougeot* in Enum. pl. Vosg., qui ipse observat me determinasse plantas, quas illi adscriptas maluerunt.

Dichaena. Fr. l. c.

1. D. strumosa, peritheciis oblongo-rubrotundis dense stipatis demum corrugatis concrescentibus, in stromate corticali hemisphaerico-protuberante innatis.

Ad ramos Quercuum in Mexico. *Liebman.* In Quercu nigra Carolinae. *Curtis.*

Valde affinis *D. rugosae* ejusque more concrescens in maculas, in quibus sub microsc. massam grumoso-carbonaceam tantum videre licet, tuberculo vero corticali protuberante mox diversa.

Scorias. S. M. II. p. 290. (char. emend. *Montagne!)*

Perithecia fibroso-contexta, cornea, uda mollia gelatinosa, sicca rigida fragillima, in mycelio, e fibris muco involutis contexto, crasso spongioso, sicco corneo-rigido, sessilibus. Asci clavati, sporis quaternis fusiformibus septatis.

Fungi nobilissimi, ad specimina incompleta hactenus tantum cogniti, characterem egregie exposuit Cel. *Montagne* in Ann. Sc. Nat. 1849. I. p. 303, ex quo h. l. synopticum exscripsi. Manifestus est Pyrenomyces, ad quos olim sine dubio plures Hyphomycetes Dematei tamquam status incompleti transferendi v. c. *Capnodium* Mont., *Oedemium* S. M. non Corda!, *Myxothecii* sp., *Ophiotrichum* Kunz. etc. Cfr. *S. Veg. Scand. p. 502, 503.* Alii Pyrenomycetes typici in statu primario Dematieos referunt.

1. S. spongiosa l. c. Botrytis. *Schwein.!* statu exolet.
In America boreali vulgare; vidi e Mexico, Texas, Carolina, etc.

Zasmidium. S. V. Sc. — Antennariae sp. *Auctt.* — non Brown.!

1. Z. (Dendropogon) Robinsonii. Berk.! in Lond. Journ. II. t. 23. f. 2.
In Costa Rica, in monte ignivomo Irasi ad ramos arborum copiose.

GASTEROMYCETES.

Paucae ex familia in his collectionibus adsunt, quare species summatim tractem.

1. PHALLUS (DICTIOPH.) SPECIOSUS. Klotzsch in Nov. Ac. Nat. Cur. Suppl. 1. c. ic.

Icon missa ex America centrali.

2. CLATHRUS GUTTATUS, turbinatus, trabibus primariis quinis anastomosantibus coccineis, extus albo-guttatis.

In ins. St. Thomae. *Örsted.* ic. 44.

Specimina in spir. vini quoque servata, at decolorata et fere soluta; ut iconis ad fungum exoletum evacuatumque pertinent. Volva alba, regulariter quinqueloba (an semper), pro ratione minor. Peridii rami minus dense anastomosantes in cancellum elongato-obovatum aut potius turbinatum, color extrinsecus laete coccineus punctis majoribus albis pulcherrime guttatus, quo facile dignoscitur. Reliqua desunt.

3. GAUTIERA MORCHELLAEFORMIS. Vittad.! Tub. p. 25. t. 3. f. 6.

In monte Orizaba in Mexico. *Liebman.*

4. HYPERRHIZA VARIEGATA. Vittad.! l. c. p. 16. t. 3. f. 4. (Octaviana) *H. Caroliniensis.* Bosc.? certe generis!

Cum praecedente. *Liebman.*

Specimina hujus et prioris cum Europaeo prorsus convenire etiam judicat peritiss. harum stirpium scrutator *Berkeley.*

Obs. Vitio typothetae in Summ. Veg. Scand. notula **, quae ad *Mylittam venosam* spectat, ducitur ad Hydnangium- et * supra ad genus Mylittae referatur.

5. CYATHUS PLICATUS. Fries in Linn. 1830. p. 553. *C. plicatulus.* Pöppig! *C. Pöppigii.* Tulasne.

Ad Bahiam ad terram.

Myriococci affinitatem cum Eurotio perhibitam non capio. Fructificans s. nucleum non vidit *Corda.* Cfr. *Summ. Veg. Scand.,* ubi fida analysis.

6. LYCOPERDON GEMMATUM. S. M. III. p. 36.

Ad terram in Costa Rica. *Örsted.*

7. L. PYRIFORME. S. M. III. p. 38.

In Mexico *Liebman;* Hawai. *Didrichs. n. 58.*

8. L. ACUMINATUM. Bosc., peridio membranaceo persistente ovato-globoso furfuraceo, floccis parcis tenellis sporisque cinereis.

Ad muscos in truncis in Costa Rica. *Örsted.;* in Carolina *Curtis!*

Valde affine *L. Brasiliensi,* sed adhuc minus, tenue et flaccidum, ovato-acutum, apice ore minuto dehiscens, colore subisabellino. Capillitium ita tenellum et laxum, ut totum haud impleat peridium. Floccorum et sporarum color insolito pallidus. Synonymon Boscii me docuit amiciss. *Curtis.*

9. ARACHNION ALBUM. Schwein.! Car. t. 1. f. 2.

In America boreali, Carolina. *Curtis.*

Scoleciocarpus Berk.! ab hoc genere non differt (Cfr. *Fung. Nat. p. 51)* et jam 1842 *Ar. Zeyheri* in litt. ad amic. Kunzeum dictus.

10. XYLOPODIUM DELESTREI. Mont. Alg. t. 20. f. 1. *Lycoperdon carratinum.* Afz.

Ad terram in Guinea. *Afzelius.*

Meo sensu hoc genus potius ad Sclerodermeos, quam Lycoperdineos referatur.

11. SCLERODERMA VULGARE. S. M. III. p. 46.

Ad terram in Mexico.

12. SCL. BOVISTA. S. M. III. p. 48.

Ad S. Joce in Costa Rica. *Örsted.*

Peridia magis rigida et fragilia, sed aeque tenuia ac in vulgari. Fibrillae radicantes in stipitem coeunt; ceterum non diversum.

13. CAULOGLOSSUM TRANSVERSARIUM. S. M. III. p. 61.

In Carolina *Curtis* et in Mexico.

Secundum haec specimina juvenilia a *Secotio* hoc genus tantum differt peridio clavato et stipite contiguo, observante jam Berkeleyo. Habitu et facie adeo exacte convenit cum *C. elato,* exoleto modo lecto, ut de generica identitate non dubitem.

14. ONYGENA EQUINA. S. M. III. p. 207.

In ungulis equinis, Guadeloupe. *Forsström.*

Cellula sporarum matricalis in Zoogeneis speciebus hujus generis persistit, quae in plurimis Gasteromycetibus fugax. Ex hac nota distinguitur

Hyphoderma a *Hyphelia*, *Enerthonema* Berk. Suppl. n. 388. (cujus manifesta species est *Stemonites mammosa* S. M. III. p. 161! *cfr. descr.!!)*, at cum haec cellula typice in omnibus adesse debeat, modo plus minus cito resorbi, omnino dubium est, an haec nota sufficiat ad genera distinguenda, si non aliis et habitualibus notis simul suffulciatur. Hinc *Ecchynam* s. *Onygenam fagineam* (Cfr. S. Veg. Scand.!) tantum ut subgenus Onygenae proposui; a Pilacre, cui retulit amic. Berkeley, longius distat. *Ecchynam fagineam* tamquam peculiare genus utique proponere liceat; sed, pace aliorum, mihi harmoniae naturae fidenti impossibile est magnam vim tribuere micrologicis notis, e morphologicis et physiologicis legibus facile interpretandis. Nullae differentiae, quantae sint, meo sensu, possunt v. c. *Dothideam fulvam* a *D. rubra* divellere, tantum probare naturam illas differentias vilipendere!

15. Arcyria denudata, peridiis cylindricis substipitatis totis evanescentibus, capillitio persistente sporisque lilacino-corneis.

In insulis Nikobaricis. *Didrichsen.*

Habitus omnino *A. fuscae* l. *carneae*, at insigniter diversa peridio toto evanescente, nullo remanente calyculo, capillitio compacto persistente, nec elastice expanso relaxato. Color peculiaris, opacus, rubellus in lilacinum obsolete vergens.

16. Perichaena vaporaria. Schwein. Am. p. 258. *P. depressa.* Libert. *Stegasma.* Cord. V. f. 34.

In India occidentali.

Stegasma optimum sistit generis typum, pro quo Corda proposuit *Phelonitem strobilinam*, semper pro atypica specie sumtam. — *Lignyota* a Liceis differt ut Enerthonema a Stemonite.

E Cryptomycetibus perpaucae adsunt species in collectionibus nunc recensitis nempe *Stilbum cinnabarrinum* Mont. (in Mexico copiose), *Fusarium roseum* Link., *Illosporii* spec. in Parmelia, Costae Ricae, *Sporidesmium Corae,* Mexico, *Polycystis parallela* (Sow.) S. Veg. Sc. in Antillis.

ADDENDA:

1. POLYPORUS (PETALOID.) RHIPIDIUM. Berk.! Cent. II. n. 124.

Ad specc. ab optimo Auctore missa verus est Polyporus — et delendus inter Polystictos discipedes. Poris haud decurrentibus valde insignis!

2. POLYPORUS CINCTUS. Berk.! in Ann. H. Nat. I. p. 43. t. 2. f. 3.

Fungus nobilissimus; pilei indumentum ut in Polystictis funalibus, sed hymenium Polypori!

3. TRAMETES GLABERRIMA. Berk.! Cent. I. n. 83.

A *Tramete lactea* differt pileo applanato porisque (multis linearibus) tenuioribus.

4. TRAMETES PALLIDEFULVA. Berk.! Cent. I.

Eximia haec species inseratur juxta *T. Zebrinam*. Utraque transit ad sect. ** — Ad Trametes contextu pallido pertinet *Tr. levissima* Fr., sub Polyp., diversa a *Tr. laevi* Berk.!

5. THELEPHORA GALACTINA, resupinata, late effusa, incrustans, colliculosa glabra, lactea, ambitu indeterminato.

Ad terram juxta fossas. *Curtis* n. 1601.

Crustam sistit late et indeterminate effusam, cum arena omnino concrescentem; in vivo mollem, in siccis induratam et contiguam more generis. Haec ad Th. pallidas Americanas v. c. *Th. candidam, pallidam* etc. accedit, ut *Th. crustacea* et *caesia* ad Europaeas fuscas.

Nova acta Sci. Upsala. 1855 Vol. I. 3a Series

NOVARUM SYMBOLARUM MYCOLOGICARUM MANTISSA,

AUCTORE

E. FRIES.

Absoluta et typis jam exscripta priore dissertatione, e Musaeis propriis et Hafniensibus novam fungorum messem obtulerunt viri amicissimi *Liebmann* et *Örsted,* partim in America continentali a se ipsis, partim in insula S:t Thomae a *Krebs* collectam, additis quibusdam e Guinea reportatis. Melior pars ad species jam recensitas pertinet, praecipue ex iis, qui ex ins. S:t Thomae reportatae sunt, v. c. *Hiatula discreta, H. Benzoni, Agaricus Antillarum, Coprini etc. Clathrus cancellatus* in insula citata vulgaris et diversus a *L. guttato.* Inter Liebmannianos accedunt ad Floram Mexicanam *Polystictus barbatulus* (supra p. 71) et *P. pinsitus.* (El. p. 479.) *Corae sericeae* adsunt specimina pulcherrima fructifera! Ex insula S:t Crucis porro reportavit *Marasmium Oreadem, Coprinum plicatilem* et *Schizophylli communis* var. resupinatam, orbiculari-applanatam. E Guinea, cujus fungi a nostris maxime recedere solent, adest Agaricus, singulis notis in *A. umbelliferum* quadrans. Haec statio eo magis memorabilis, cum haec species in Europa boreali praecipue luxuriat. Omnia specimina in spiritu Vini optime conservata erant (Hiatulae utriusque speciosissima, antea descriptis longe majora et insigniora), sed eo ipso de coloribus nativis saepe dubii sumus. Qua de caussa omisimus species quasdam sat insignes, sed notis evidentissimis a jam descriptis haud distinguendas, v. c. *Lentinum aterrimum,* pileo infundibuliformi dense setoso, stipite hirto, facile status *L. Lecomtei* e Mexico, Agaricum *A. leonino* simillimum, pileo gilvo, sporis vero ignotis, e ins. S. Thomae, e. sp. His missis restant sequentes nobiles, omnino novae vel minus cognitae.

1. Agaricus (Naucoria) papularis, pileo carnoso plano obtuso albido, papulis innatis stipatis persistentibus concoloribus asperato, stipite fistu-

loso aequali pallido, lamellis adnatis dente decurrentibus distantibus e pallido cinnamomis.

In insula St. Thomae. *Krebs.*

Species pileo undique et dense papilloso, papillis cum pileo omnino homogeneis, typum praebet ab omnibus clare diversum. Gregarius, immo caespitosus, habitu ad *Marasmium Oreadem* et *A. pediadem* accedens, lamellis vero distantibus nec fuscescentibus insuper longe diversus. Stipes $1\frac{1}{2}$-2 unc. longus, 1-2 lin. crassus, tenax, subfibrosus extusque fibrillosus, pallidus. Pileus etiam junior videtur planus, disco carnosus, versus marginem vero membranaceus demumque striatulus, 1-2 unc. latus, obtusissimus, albus. Lamellae horizontales, totae adnatae, latae, admodum distantes, juniores pallidae, dein cinnamomeae. — Multum variat, ut duae facile distinguantur varietates, altera diminuta statura *A. myosuri:* altera pileo convexo irregulari, sed coloribus et pilei indumento ad hanc speciem certe referendae.

2. Agaricus (Galera) macromastes, pileo membranaceo e cylindrico coriaceo, umbone centrali obtuso orbiculari prominente, stipiteque cavo conico-attenuato glabris pallidis, lamellis liberis sublinearibus, primitus cohaerentibus.

In insula St. Thomae. *Krebs.*

Etiam haec species typum omnino novum praebet, lamellis primitus more Coprinorum stipato-cohaerentibus et crispatis a genere deflectens. Stipes cavus, firmus, primo curtus conicus, dein elongatus sesquiuncialis, basi 3-5 lin., apice 2 lin. crassus, glaber, pallidus. Stipitis apex excurrit in pilei mammam orbicularem definitam et vulgo admodum prominentem, cujus marginibus adfixus pileus omnino membranaceus, primo cylindricus, dein conicus, $\frac{1}{2}$-$1\frac{1}{2}$ unc. altus, laevis, glaberrimus, pallidus, margine recto stipiti adpressus. Lamellae liberae et a stipite prorsus discretae, adscendentes, stipatissimae, crispae, perangustae sed utrinque acuminatae. Sporae ochreo-ferrugineae.

3. Lentinus (Cornucopioid.) flaccidus, pileo submembranaceo flaccido profunde umbilicato subinfundibuliformi laevi glabro pallescente, margine reflexo integro, stipite curto adscendente subexcentrico, lamellis obconico-decurrentibus inaequalibus distantibus subintegerrimis.

In insula St. Thomae ad truncos. *Krebs.*

Habitus omnino *L. Sajor-Caju,* sed lamellis valde inaequalibus et distantibus abude diversus. Stipes solidus, lignosus, $\frac{1}{2}$-1 unc. longus, 2 lin. crassus, aequalis, adscendenti-incurvus, subexcentricus, glaber, pallidus et

flaccidus, 2-3 unc. latus, laevis, glaberrimus, alutaceo-pallescens, margine integro deflexo, at non involuto. Lamellae valde inaequales, latae, valde distantes, eglandulosae, sed tenuissimae, membranaceae, quo a Panis differt. Reliqua ut supra.

4. Lentinus cochleatus. Epicr. p. 294? *v. occidentalis.*

Ex insula St. Thomae adsunt specimina copiosa, pileo submembranaceo lamellisque integerrimis satis diversa, sed in immensa specierum copia praestat omnes typos manifestos haud praebentes vicinis subjungere, quam novas proponere.

5. Panus Troglodytes, pileo carnoso convexo eumorpho squamis floccosis adpressis dense vestito pallescente, stipite solido squamis concentricis patulis squarroso, lamellis adnatis confertis crispis dilute cinnamomeis.

Ad truncos insulae St. Thomae. *Krebs.*

Species quoad affinitatem dubia, stipite *A. radicosum* Bull. in memoriam revocans, at nulli rite affinis. Pileus quidem *Lentinum sitaneum* refert, lamellae vero *Pani stiptici.* Substantia quidem compacta et firma, praecipue ut in variis Panis stipes induratur, sed pileus carnosus nec lignescens. Stipes radice fusiformi truncos intrat, curtus, unciam raro superans, sursum leviter attenuatus, in squamas pluriseriales concentricas patulo-reflexas diffractus, sursum pulverulentus, inferne simul nigricanti-squamosus (hae squamae propriae, nec a stipite diffracto ortae, adpressae), ceterum pallidus. Pileus firmus, carnosus, obtusus, regularis, uncialis et ultra, undique squamis confertis adpressis floccosis imbricatus, alutaceo-pallescens. Lamellae adnatae, dente decurrente, horizontales, confertae, angustissimae, inaequales, crispae, ditute cinnamomeae, margine integerrimo.

6. Panus pterygodes, pileo membranaceo sessili a cupulari reflexo radiato-sulcato pallido, lamellis distantibus distinctis latis fulvis, acie dilutioribus.

Ad truncos in Guinea.

Forma et substantia *P. melanophyllo* Fung. Natal. simillimus, sed coloribus diversissimus, mox distinctus. Pileus tenuissimus, e sulcis subcrispus, 3 lin. tantum latus, sub lente flocculosus.

7. Cantharellus mexicanus, pileo carnoso turbinato-infundibuliformi glabro griseofusco, margine tenui undulato-crispo, stipite solido deorsum attenuato subfusiformi, lamellis augustissimis longe decurrentibus strictis dichotomis venoso-connexis.

Ad terram juxta Mirador, Mexico. *Liebmann.*

Canthatello cibario affinis, sed tam coloribus, quam lamellis angustioribus, strictioribus, quam omnium partium colore distinctissimus. Hic ad *Cantharellum clavatum* proxime accedit, praecipue hymenium utriusque concolor est, sed lamellis praeformatis, strictis, trama manifesta heterogenea, certissime distinctus, nec non margine pilei tenui, acuto, ut nullo modo clavatus dici potest. Stipes $1\frac{1}{2}$ unc. longus, firmus. Pileus $1\frac{1}{2}$ unc. latus.

8. Polyporus (melanop.) atratus, pileo lento tenui reniformi sublaterali glabro aterrimo, versus marginem acutum fibrilloso-virgato, stipite curto tenui excentrico punctulato, poris minimis stipatis obtusis aequalibus umbrinis.

Ad Mirador in truncis. *Liebmann.*

Forte mera varietas *P. infernalis* B. Stipes 4 lin. longus, $1\frac{1}{2}$ lin. crassus, aequalis, udus niger, siccus cano-irroratus, a poris ad dimidium decurrentibus subtus apicem versus gibbus. Pileus tenacissimus, applanatus, supra stipitis insertionem (1-2 lin. a margine distantem) umbilicatus. Pori pro ratione profundi, admodum stipati, nudo oculo non conspicui. Contextus quoque affinium obscurior, ferrugineo-umbrinus.

9. Polystictus pinsitus. Epicr. p. 479.

Ex ins. St. Thomae adest varietas minor, forte junior, pileo effuso-reflexo, habitu *Sterei hirsuti* et ad *P. zonatum* accedens, sed diversa pilei flaccidi tenuitate, poris majusculis inaequalibus albis, *fere ochraceis.*

10. Favolus muricellus, pileo coriaceo tenacissimo uniformi depresso subtiliter spinuloso-hirto, versus marginem pulchre fimbriatum denticulatumque rugoso glabro, stipite laterali brevissimo hirto, alveolis elongatis rectis profundis.

In Guinea ad truncos. *Mus. Hafn.*

Novum omnino typum in eximio hoc genere praebet! Statura admodum varius; specimina minora, unguicularia tantum, pileo tantum ad insertionem stipitis muricato, ceterum vero glabro. Specimina perfecta 2 unc. et ultra lata, reniformia. Stipes 2 lin. longus, adscendens, exacte lateralis (postice non marginatus), pilis densis erectis hirtus. Pileus insolito tenuis, at tenacissimus, flaccidus, at non tactu mollis, versus ambitum radiato-rugosus, sed ad medium saltim spinulis subtilissimis (efflorescentiis isidioideis Lichenum haud absimilibus) obtectus, ut nudo oculo hirtus appareat. Raro et sparsim observantur simul cristulae majores incisae. Margo elegantissime fim-

briato-lacerus. Alveoli magni, valde elongati, in sicco fulvi, sed fungus vegetus videtur albidus.

11. Thelephora (pleuropus) flabelliformis, pileo dimidiato membranaceo flabelliformi laevi sublititer fibrilloso-radiato, margine fimbriato, stipite verticali gracillimo, hymenio laevi substriato fuscescente.

Ad truncos putridos e Guinea. *Mus. Hafn.*

Est e pulcherrimis, affinis Th. aurantiacae, gregaria, interdum caespitosa. Substantia admodum tenuis, membranacea, flaccida, sed tenax et lenta; versus marginem tamen facile in fibrillas rasilis. Color totius dilute spadiceus. Stipes 2-4 lin. longus, gracilis, in siccis velutinus, sursum dilatatus in pileum exacte lateralem, flabelliformem, $\frac{1}{2}$ unc. et ultra latum, haud manifeste fibrillosum, sed tantum subtiliter fibrilloso-striatum.

12. Tremella inflata, maxima, caespitosa, lobis turgidis inflatis obtusis contortis, pallide brunneis ("in vivo lutescentibus") postice in corpus solidum concrescentibus, sporis ellipticis.

Ad ligna putrida ad Mirador regni Mexicani. *Liebmann.*

Fungus mirabilis, reliquis (excepta forsan T. frondosa) major, sed lobis crassis obtusis intus inanibus maximeque intestinorum more contorto-gyrosis insignis. Caespites 4 unc. lati et ultra, in basin contiguam amorpham connati. Contextus subtiliter fibrillosus immixtis conidiis. Sporae conidiis duplo majores, ellipticae. — In sicco glabra videtur fuisse ut reliquae, sed sicca velutina apparet; sed sub microscopio non pilosa est, sed dentato-verrucosa, verrucis e pluribus fibris junctis, ortis, ut videtur, e cuticula sub exsiccatione contracta.

13. Peziza (cochleatae) retirugis, ceracea, sessilis, oblongo-subrotunda, applanata, subtus radiculosa venoso-reticulata, margine libero incurvo, disco laevi alutaceo-gilvo, sicco laete citrino.

Supra folia Pini in silvarum penetralibus circa Upsaliam.

Ob ascos et sporas P. leporinae similes inter Cochleatas collocanda, quamvis integra nec auriculato-producta l. contorta. Cupula unciam et ultra lata, plerumque oblonga, tota plana, excepto margine elevato et incurvo. Colore hygrophano, in vivis opaco sordide ochraceo l. gilvoalutaceo, in siccis nitido laete sulphureo-citrino, et pagina inferiori Merulii instar manifeste et dense venoso-reticulata valde insignis. Hanc et sequentes ob nexum cum Pezizis supra descriptas hoc loco insero.

14. Peziza (Cupularis) cruciata, ceracea, turbinato-pyriformis, in stipitem brevissimum albo-pubescentem protracta, carneola, junior carinato-clau-

sa, dein labiato-dehiscens, demumque cruciatim fissa, disco intense coccineo.

Ad terram in montibus Gottsundae, aestatis fine. *Th. Fries.*

Multis rationibus insignis, dense gregaria, $\frac{1}{2}$ unc. alta, junior arcte clausa et carina secus totam latitudinem prominente insignis. Secus hanc carinam tota longitudinaliter fissa, sed mox accedit rima transversalis, unde cruciatim dehiscit. Extus subnuda, laevis. Discus urceolatus. Color omnium partium cum *Peziza coccinea* convenit.

14. P. (Macrop.) protracta, cupula turbinato-urceolata laevi, inferne stipiteque elongato flexuoso alte radicato albofloccosis, ceterum glabra, disco laevi coccineo.

Ad terram in rupibus Gottsundae, primo vere. *E. Fries*, fil.

Est e pulcherrimis, praecedenti concolor, sed distinctissima, e stirpe *P. tuberosae* et forma *P. globosam* aemulans. Radix, quamvis abrupta, ultra unciam longa, deorsum vix attenuata, crassitie stipitis, flexuosa; an e tubere, alte in terram demerso, enitatur non liquet. Stipes sesquiuncialis, lineam fere crassus, aequalis, sed superficie inaequabilis, in siccis albicans et undique albo-floccoso-corticatus. Idem vestitus in cupulae basin adscendit; ceterum cupula glabra, in siccis laete gilva, 4 lin. circiter alta et lata. Discus urceolatus, laevis, ore constricto orbiculari integro. Ambigit inter *Macropodes* et *P. coccineam*, sed vegetatio et sporae priorum.

Mira copia Pezizarum nobilissimarum, terrestrium, ex magna parte vernalium, in regione Upsaliensi luxuriat, quales in provincias nostris macris v. c. Smolandia occidentali, exceptis *P. nigrella* et *P. melaena*, paene desiderantur. Loco supra indicato etiam nascitur species *P. melastomati* proxima, vix diversa nisi defectu indumenti rubiginosi.

15. Peziza (cupularis) sepulta, hypogaea, globosa, diu clausa, dein ore constricto dehiscens, demumque in lacinias plures inaequales fissa, disco urceolato e brunneo livido, sporis laevissimis.

In arena ambulacrorum Horti Upsaliensis post largas pluvias autumnales, copiosissime.

Species summopere insignis, primitus tota terrae immersa, tuberiformis, globosa, cava, uncialis, valde gregaria et interdum plagas latas confluens; dein emergens, in ipsius terrae superficie ore constricto aperta, demumque semiemersa et lacero-fissa. Extus cum terrae gleba adeo connata, ut pagina exterior discerni nequeat; substantia carnoso-ceracea, fragilis, intus li-

vida vel corneo-alba. Discus laevis, udus brunneus, siccus lividus. Sporae laevissimae, quo a *P. Radula* Berkl. distinguitur.

16. Midotis patella, cupularis, sessilis, postice oblique adnata, supra glaberrima cervina, hymenio concavo brunneo.

Ad truncos prostatos in Mexico. *Liebmann.*

Cupula coriacea, in spiritu vini mollior lenta Auriculariae instar, uncialis, postice excentrice et oblique adfixa, ut varia Sterea. Pagina superior convexa, laevis, glabra, cervina. Discus resupinatus, terram fere spectans, laevis, glaberrimus, in adultis facillime a cupula secedens. Asci exacte lineares, octospori. Sporae ellipticae, utplurimum biocellatae. Mire jungit Sterea et Pezizas.

17. Hypoxylon papyriferum. Fr. Linn. V. p.

Ad Mirador regni Mexicani. *Liebmann.*

E schedula inventoris cavitas interna in statu vegeto liquore aqueo repleta! Ostiola latent.

18. Hypoxylon (Xylogl.) leptopus, suberoso-lignosum, clava obtusa laevi atra, velo contiguo tenuissimo glabro innato aerugineo-griseo primo obducta, intus solida fibroso-radiosa alba, stipite discreto glabro gracili basi scutato, peritheciis immersis, ostiolis minutis papillaeformibus.

Ex India occidentali. *Krebs.*

Habitus *H. polymorphi,* sed integumento tenerrimo glabro aerugineo-griseo, quo junius collinitum, et stipite gracili mox distinctum; 2—3 unc. altum (stipes $\frac{1}{2}$ unc. et ultra), cylindricum, sursum incrassatum, sed variat turgidum ovali-oblongum et interdum duo quasi concrescunt, tum stipes latior et clava compressa. Sporae generis, curvulae.

19. Hypoxylon (Xylodact.) corniformis. Fr. Elench.

Cum praecedente, a typo Europaeo vix diversa.

20. Pachyma Tuber regium. S. M. II. p.

In terra Sumatrae!

Plane diversum a Mycelio Lentini Tuber. regii, cum quo commutavit Rumphius, ut ex ipsius verbis de usu patet, *Mylittae australi* Berk. bene respondens. — Temere quoque Cel. *Tulasne* dubitat de autonomia *Rhizomorphae fragilis.* Perithecia hujus conico-ovata, papillata, superficialia; asci sporis octonis curvulis Hypoxylorum.